Polonica Proles

1 Vladislaus Sigismundus natus d. Anno 1595 . 9 Junij

2 Jo. Casimirus Anno 1609 . 22 Martij

3 Jo. Albertus Cardinalis et Epus Cracov. 1612. 25 Maij. obijt [illegible] 1634 Maij [illegible]

4 Carolus Ferdinan. Epus Vratisl. A. 1613 . 13 Octob.

5 Alexan. Carolus A. 1614. 4 Novemb. obijt in Lithuania 19 Nov. 1634

6 Anna Catharina A. 1619 . 7 Augusti

Neuburgica proles

Anno 1615. natus est Philippus Guilielmus filius Ducis Neuburgici die 24. Nou. hora 6. pomeridiana; baptizatus est ab Epo Augustano die 6. Decemb. susceptores ex baptismo fuerunt, Rex Hispaniarum, Ser.mus Guilielmus auus maternus, et Ser.mus Dux Bauariæ Maximilianus auunculus. vices Regis Hispaniarum suppleuit Marchio Burgauiensis, Ser.mi Maximiliani vices frater Ser.mus Albertus.

Bauara.

+ Anno 1616. 3. Aug. nata est Ser.mo Alberto Duci Bauariæ filia Maria Renata: baptizata ab Abbate Tegernseensi; susceptrices fuerunt Ser.ma Elizabetha et Magdalena. Moritur 1. Mar. 1630.

Anno 1618 die 9. Nouemb. eidem natus est primogenitus filius Joannes Franciscus Carolus, paulo post sextam antemeridianam: baptizatus est ab Epo Frisingensi, susceptores fuerunt ~~[illegible]~~ Rex Hispaniæ et Albertus ~~[illegible]~~ Archidux Austriæ. mort. 1640

Anno 1620. eidem natus est die 25. Aug. circa medium nonæ antemeridiem Ferdinandus Guilielmus, baptizatus ab Epo Frisingensi susceptores fuerunt Imperator Ferdinandus, Ser.mus Guilielmus auus paternus et Ser.mus Leopoldus Archidux Austriæ. Moritur a.o 1629.

Anno 1621. die 8. octob. hora 8. ante meridiem eidem natus est tertiogenitus Maximilianus; baptizatus ab Epo Frisingensi; susceptores fuerunt Ser.mus Maximilianus Dux Bauariæ [illegible]: Dux Lotharingiæ et eius frater. Horum omnium vices suppleuit Dux Guilielmus.

A.o 1623. die 5. Aug. eidem natus est ad medium septimæ [illegible] quartus filius Albertus Sigismundus. Susceptores fuerunt Rex Poloniæ et ipsius maximus natu filius, atq. Elector Bauariæ Maximilianus, qui etiam aliorum absentium personam sustinuit, R.mo Epo Frisingensi baptizante 8. Aug. —

A. 1636. die 21 Nouemb. natus est [illegible] Maximilianus [illegible] Maria [illegible] [illegible]

[illegible] 1638. 30 Sept. natus est Maximilianus Philippus Hieronymus

Agrolensis

A.º 1627 12. febr. nata est Maria Leonora, quam de sacro fonte suscepit Elector Bauariae; mortua est post triennium.

A.º 1628. 17. Maj natus est primogenitus Ferdinandus Carolus, quem ex sacro de sacro fonte leuauit Ser.mus Ferdinandus Magnus Dux Hetruriae

A.º 1629 12. Aug. nata est Clara Augusta, quam Ser.ma Infanta Belgij suscepit per S.am ... ... in Monasterio

A.º 1630. 27. Nouemb. natus est Sigismundus Franciscus: Patrinus fuit Rex Poloniae per R.mum Epum Brixinensem.

A.º 1632. 6. April. nata est Urbana, eam de sacro fonte suscepit Sum. Pont. Urbanus 8.us per

Serm. Ferdinandi 3.i et Mariae Hisp. Regibus Bohemiae et Hung.

A.º 1633. 8. Septembr. ... hora post ... natus est Ferdinandus Franciscus eodem die baptizatus est ... Card. a ... susceptores Imperator et Rex Catholicus; Mariaeq. Imperatrix ... Regina Catholica

Anno 1634. 24 ... Maria Anna ... Leopoldi ... Caroli ... nomine Regis Hispaniae; Matrina ... Maria Anna Electrix Bauariae


Anno 1637. 15 ... Philippus natus ... patrini Leopoldus et Caecilia ... mortuus 22. Junij 1639

Ano 1640 in octaua Corporis X.i 10 Junij ... Leopoldus ... natus est.

A. 1639. 21 ... Maximilianus Thomas, ... Maximilianus ... 28. Julij 1639

Assistentia Germ.ae





SERENISSIMO
BOEM. REGI.
FERDINANDO II.
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ,
CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, &c.
Domino, Dño Clenſentiſſimo,
Vitam ac fœlicitatem.

MVſas, quo nomine, REX SERENISSIME, omnem rei litterariæ, ſiue ornatum ſiue apparatum, vſu equidem magis, quam primâ vocis notione, ſoliti ſumus inſignire, varij varijs compellauêre nominibus, varij vario e ſtemmate deduxêre. Fuêre enim qui Cœli Terræq; filias, fuêre qui terno ſcalpello, ter ternas

Pindar.
Alcm.

A ſtatuas,

ſtatuas, trium artifice manu Statuariorum, Cephyſodoti, Strongylionis & Olympioſthenis enatas memorauêre, vt alia mittam, quæ tanquam leuioris notæ, vel momenta vel monumenta, calamo dedignati ſunt viri grauiores. Mihi ea ſemper arridere ſententia viſa eſt, quam

Aug. ex Varrone.

fonte labra proluentem caballino
Clio Cleiusq; Sorores
Seruantem pecudes vallibus, Aſcra, tuis

Perſ. prol. Sat.
Ouid. in arte.

Heſiodum edocuêre, nos Heſiodus; vbi ita ludit non illudens:

in Theogon.

Muſæ Olympiades compti Iouis ægide natæ,
Mnemoſynæ ſoboles, obliuio certa malorum,
Curarumq; quies.

Si quid enim ad rerum, vel præteritarum recordationem ab antiquitate vindicandam, vel recenter geſtarum, ad poſteritatem tranſmittendam memoriam, ex vſu aliquando & bono fuit, id eburnei Muſarum pectines, elephantina Camænarum plectra, complexa eſſe ex aſſe,

inte-

integrum, ſolidum, jure merito videri poſſunt. Habent aliquid

— inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem Ducibus:

Horat. li. 4. Carm. od. 8.

habent Parrhaſiæ moles, habent liquidis vitam mentita coloribus ſimulachra recordationis, ad immortalitatem tamen vſq;, nemo,

Si chartæ ſileant, quod benè feceris
Mercedem tulerit

eam, cuius non quærula licet Virtus, digna tamen, etiam poſt fata, ſiue ſui, ſiue noſtri gratiâ viſa eſt, poſteritatis memoriam ſempiternam. Nam, vt cum eodem filum pertexam quo cum cœpi;

— — Quid foret Iliæ
Mauortisq; puer: Si taciturnitas
Obſtaret meritis inuidia Romuli?

Quis Principes Lyciorum vnquam, quis comatos
Priamidas, vel muliebri colore Cygnũ cognouiſſet;
Niſi bella veterum Poëtæ ceciniſſent:
Neq; Vlyſſes qui centum & viginti menſes errauit
Omnes per homines, & ad imum Orcum deſcendit
Viuus, & ex ſpelunca euaſit pernicioſi Cyclopis,

Theocrit. Idyl. 16.

Diuturnam gloriam obtinuissent, &c:
Nisi eos juuissent Homeri Carmina.

Nimirum.

Horat. 4. Carm. od. 9.

Vixère fortes ante Agamemnona,
Multi, sed omnes illacrimabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte: carent quia Vate sacro.

Non debet hoc, imo non potest euenire MARIAE ANNAE Tuæ, Serenissime Rex, si Musas nouimus amatrices materiæ dignioris, cantatrices laudis gloriosioris, exaggeratioris. Et vt reliqua sileant theatra, vt exteræ conticescant Camœnę; domesticæ hæ, hæ Styriacæ, hæ Gratienses, qui possunt? Ipsas audi ad carmina sese prouocantes.

Edere vix teneros didicit Philomela susurros,
Attamen id Matri, quod canit illa, canit:
Vt primum vernant lætis vineta racemis,
Luxuries Domino prima ferenda venit;
Tendite Apollineæ, pia tendite barbita Diuæ;
Quam canitis, Genitrix illa Parensq; fuit.

Planè

Planè ac si illud e sacris audias: *Quis plantat vineam & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Nam si Memoriæ filiæ sunt Musæ nostræ, si Gratijs hisce vestris (quod sibi gratulantur) se plantatas non ignorant, meminerint profecto plantatricis dexteræ, nec obliuiscentur manus excultricis. FERDINANDVS & MARIA ANNA ARCHIDVCES, Societatem IESV in hac Vrbe, Musarum Pietatisq; gratiâ, ipsis Musis posuêre, funduêre; & posint ab Societate aut a Musis, vel Pietatis, vel Memoriæ sacra desiderari. Accipite ARCHIDVCES.

1. Cor. 9. v. 6.

EMBLEMA P.[m.]

1.



Lita-

Litamus vtroq;.

Principis inferijs, dum Styria tota parentat,
Tristia dum calidis busta rigantur aquis,
Nos cythara insignem Phœbum, Musasq; canoras
Mittimus, atq; focis cœlica thura damus;
Principis hoc merita, hoc virtus, Pietasq; requirit
Tanta nulla magis conuenit ara Dea.

LEMMA.

Gratitudinis in optimam Principem, ab Ara, & Chely Societas IESV mutuatur monimentum. Litteris & Pietate parentat Parenti, Fundatrici. Nil sacris antiquius Societati, nil Litteris charius: illud ad Religionem facit, hoc ad memoriam: illud Numen conciliat hoc Nomen immortale. Pijs Manibus placuit vtroq; litare.

Ita fieri amat, Rex Serenissime, tum quisq; dedit, tum litauit largiſsime, cum dedit, quod habuit, quod potuit optimum; & vero in muneribus aut officijs, non res ſpectari conſueuêre, ſed animus. Hoc qui vicerit, verè munificus audiet, etiam ante Crœſum, ipſe Irus. Res duas complexa Societas eſt, Pietatem & Litteras: Illam, ex animis ſibi, ex medullis, quamdiu ſeipſam nouerit, erga Benefactores ſuos, erga Fundatores, eripi non patietur vnquam. Ad litteras etiam Poſteritati victuras, quando hortatore Te, Te authore, Te Imperatore, non tam inuitatur, quam (quæ Beneuolentia Tua, qui Tuus eſt vel in Coniugem demortuam affectus, vel de rebus noſtris ſenſus) impellitur, eccum ſtilum acuere vel in marmora vel in æra non veretur: armare in Inuidiæ aconita, in liuidas Draconis fauces, non dubitat; Nec mirare, Auguſte Princeps, inuidiæ nomen, ſemper enim Virtuti comes, eſt vt vmbra Soli.


Et

Et quanquam multa huic morbo pharmaca, huic malo remedia; Primum, Virtutis ſublimitas ipſi omnium penè vertici imminens; vt, iuxta Plutarchi effatum, ſicut Sol ſummus & vertici imminens, aut minimam facit vmbram aut nullam; ita Mariæ gloria extinguat inuidiam: Tum Modeſtia Principis ſingularis, quâ quantum ſeſe ipſam deprimebat dum viueret; tantũ laudatiſsimæ eius vitæ memores ſuperſtitum animi, libentius fauentiusq́; extolli audiant, concupiſcant: Tum quod mors ipſa, viuâ licet vigenteq́; rerum benè geſtarum gloriâ, tumulo concludit eodem, Corpus Principis Virtutis adminiſtrum, & Inuidiam eius vmbram, iuxta illud

Paſcitur in viuis liuor poſt fata quieſcit:

quia tamen Naturæ fines perrumpunt interdum vitia, & vltra debitum egreſſa, in tumulos vſque figunt dentem viperinum; eccum Tibi Vindices Muſarum aculeos, eccum arma armis obiecta.

11.



SEM-

II.


SEMPER IN ARMIS.

Nil Diomedis opus Platano est, MARIA ANNA,
Umbramq; Musæ Manibus Tuis dabunt. (quietem
Si dentes hydrus, Liuorq; aptauerit arcum;
Nostræ Camœnæ non dabunt jaculo locum.
Ergò PII MANES requiescite, SEMPER IN ARMIS,
Musis paratæ contra erunt hostes manus.

LEMMA.

Platanus opaca folijs, Diomedis sepulchro, & vmbraculum & symbolum præbuit quietis. Inquieta pestis est Inuidia; etiam posthumam Famam morsicat dente viperino. Hoc ergo emblemate, Musæ ARCHIDVCI optatam spondent quietem. Quisquis eius iniquietabit Manes, manus etiam irritabit Musarum & calami furorem.

III.



Extra

Extra Inuidiam.

Jte meas Musæ, securæ dicite laudes,
Liuoris extra missile:
Jam cœlo fruimur; Mundi tranauimus æquor
Littus polorum tangimus.
Non est inuidiæ locus hic; date carmina: morsus
Non tangit astra vipera.

LEMMA.

Metum nobis adimit MARIA ANNA; sed scripturis tantum, non etiam victuris; adimit enim morte, ante quam *supremaq; funera* vti beatus dici nemo debet, ita post illam, nemo virtutis studiosus non est in desiderijs atq; luctibus, nepoti, imò seruulo superstiti. Sed mittamus luctũ qui noster est, demus encomia quæ MARIÆ ANNÆ; sed non in manũ aliam, quam in Tuam REX SERENISSIME;

a qua illis fides, vt à conſcia; gratiâ, vt à coniugali; authoritas, vt à Regiâ; O etiam perpetuâ, æuiternâ. Ita Regiæ M:tis V:ſtræ immortalia in Rempublicam merita depoſcunt; ita in Societatem noſtram beneuolentia ſingularis imperat; ita Societas vniuerſa animitus medullituſque; optat, vouet ac precatur. Gratijs, Anno M. DC. XVIII.

Reg: M:ti V:træ

Æternum deuotum

Collegium Societatis
Jesv Gratienſe.

Elo-

Elogia.

SERENISSIMAE
MARIAE ANNAE.
ARCHIDVCIS AVSTRIAE
VTRIVSQ. BAVARIÆ
DVCIS, &c.

SERENISSIMO
BOEM: REGI.
FERDINANDO II.
ARCHIDVCI AVSTRIAE, &c.

Relicto Coniugi.

SERENISS: q; LIBERIS

Solatium:

POSTERITATI OMNI
VENTVRÆ,

Speculum & exem-
plum.



Elogium I.

A NATALIBVS.

MARIAM ANNAM vindex calamus obliuioni surrepturus, non alio loco potest aptius primam ducere lineam, nec aliunde sumere initium scriptioni, quam vnde Princeps Heroina initium sumpsit & vitæ; id est à Natiuitate ac Natalibus. Nam etsi in auiam ab auorum virtute Nobilitatem iustè clamari potest ore Satyrico,

> Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
> Sanguine censeri, pictos ostendere vultus
> Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos:

Iuuen: Sat:8.

Sequaci tamen & tenaci, non sanguinis magis, quam virtutis propagini, qualis fuit MARIA ANNA, quis non iustè adclamet?

 Fortes

Horat:4. Carm:od:4.

Fortes creantur fortibus; & bonis
Boni:

& id quod ſequitur;

nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Epiſt:57. ad Eudox:

Veriſsimum enim iudicare oportet illud Nazianz: *Natura ſequitur ſemina quiſq; ſua, & vt plurimum rectè ſuccedunt. qua Naturâ duce aggredimur.* Quapropter illud nobis & agendum & vſurpandum eſt Platonis, vt in MARIA ANNA, Generis præſtantiam prius laudemus, deinde educationem. Quanquam quid laude opus, vbi enumeratio ſola encomium eſt. Nata eſt Princeps noſtra Sereniſsimo Guilielmo Comite Palatino Rheni vtriuſq; Bauariæ Duce, &c. Patre: MATRE vero Sereniſsima RENATA Lotharingiæ Duce, &c. Anno à Chriſto nato, M. D. LXXIV. Decembri Menſe, die octaua, qui Conceptæ ſacer eſt Deiparæ. Magna omnia, auſpicata omnia, Parentes, Annus, Menſis, Dies. De parentibus, quis tam hoſpes ac peregrinus, quin audierit, imparem virtutibus

ac

ac nobilitati eorum famam : quanta in Guilielmo Patre, cum summa rerum humanarum despicientia, gubernandi ars? quãta in Renatâ Matre fuerit, omni Christianarum virtutum Palatinatu ornata atq; comitata Pietas? Iam Mensis, idem MARIÆ ANNÆ qui Christo natalitius, quid nisi prognosticon fuit amoris, quo noua nata, venientibus annis arsura erat atque exarsura in Deum ac diuina? Sed μυστικότατος planè dies in qua nata. Vidit enim lucem die illo quo Sacratissimum Dei tabernaculum MARIA, in sterilis Genitricis vtero, magno miraculo, summo orbis emolumento concepta est, vt non immeritò vtrumq; vni Principi nostrę, & Matris scilicet & Genitricis nomen imponi, vt impositum est, debuisse videri possit ac debeat.

Eccum vobis Musæ materiem, siue carminis, siue laudis.

IV.



Laus

IV.

Laus addita laudi.

Stipite quid viduo ſine ramis arbor habebit?
Stipite vel ſine, quæ ramus & arbor erunt?
Tum benè creſcetis, benè tum vernabitis horti
Plurimus vt viridi ſtipite ramus erit.
Affluat vmbroſis licet arbor Boica ramis,
Vnus abeſt, quem dum ſidera fertis, ouat.

LEMMA.

Nobilitatem ab auis atque atauis, an à virtute ſumpſiſſe laudi ſit, multâ quæſtione ventilatum eſt ſcriptis atq; dictis Eruditorum: Habeo compoſitam hanc à Principe noſtra diſſertationem, planè è tripode Stagyræo, ex Ariſtotelæa exedra: *Nobile eſt quod ex bono prodijt genere, Generoſum quod non à ſua natura degenerauit.* Alterum Principi noſtræ à parentibus, à Virtute eſt alterũ, non alienâ, ſed ſuâ: ita nobilem Sanguis, Virtus facit generoſam.

V.



Sic

V.

Sic sidera lucent.

Cum subit æthereas Sol Christus luminis auras.
In Boijs radit Dux MARIA ANNA jugis.
Scilicet astrorum sic se lux fundit in auras,
Sole Oriente oritur, sole cadente cadit:
Quis Boiûm MARIA ANNA decus, quis te neget astrum
Astra vbi non alijs enituêre modis?

LEMMA.

Nisi magnus esset qui dixit, vni Christo, tempus, locum reliquaque patria euenisse ex voto, ex electione, dicerem MARIAM ANNAM, & Genus & Patriam, Mensem insuper ipsum nascendi delegisse. Nata enim est MARIA, Mense, quo Christo nato salus orbi aduenit, & nata è Matre Renata; eo, vt credi potest, mysterio, quod apud multos moriens salus, renascitura erat, vel exemplo eius suscitata vel monitu.

VI.



Vera

VI.

Vera atq; fidelis imago.

Dum sterili in Genitrice Parens fœcunda salutis
Incipit, atq; thoros præparat alma Deo;
Nascitur in Terras Princeps MARIA ANNA, *celerq;*
Præcurrit Solem stella beata suum.
Vtq; magis Dominæ celebraret nomina, totas:
In sese Dominæ iussit abire notas.

LEMMA.

Multi cum MARIA ANNA natalem diem habuêre communem; multi lucem aspexêre, nō eandem modo, sed anno, mense, die, horâ & quid vetet etiam momento eodem. sed euentu non eodem. Ita enim in Conceptę Deiparæ festo die Solem vidit MARIA ANNA; vt velut Luna Minor, genuinam eius imaginem, ore, verbo, opere in se exprimeret, funderet in vniuersos. Ita nos docuêre suspiria, vota, preces, dies, noctesq; festi, in honorem Matris acti; & exacti.

D GE-

GENETHLIACON
Flori Bóico
MARIAE ANNAE.
Brumali cœlo enaſcenti.

DVm niue, dum rigido grauior furit imbre December,
Quis ſpectet teneras in noua ſerta roſas?
Factum eſt. vernantes Zephyri concedite, nobis
In media nata eſt ANNA MARIA niue.
Miratur florem Boreas, Euriq; minantes,
A tenero cohibent germine flabra Notos.
Bellule flos tandem cumulabis cuius honorem,
Numinis in medias creſcere digne comas?
Te ſibi bruma tulit, vinci ſed floribus æther
Impatiens video prælia vernus agit.
Creſce tamen. Quod ſi iſte tuos manet exitus ortus
Te ſine, Dij dicent, Ver potuiſſe minus.

Elo-

Elogium II.

A STVDIO VIRTVTIS IN ADOLESCENTIA.

VDum & molle lutum est adolescentia, sequiturque fingentis arbitrium, adeò non manum tantum. Cerea ætas ea est, facilis flecti, & in ætate ea facillima MARIA ANNA, eam maximè, imò solam in partem, qua in Pietatem ac Virtutes fit iter. Id ipsa adeo eius ludicra manifestent; si quidem, vt habet Tullius: *Studia quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quam fruges industriæ sint futuræ.* Neq; enim ei mollicellæ in delicijs pupulæ; aut eburnei in amoribus pectines; sed, (quod ei

Pers. Sat. 3.

Cic: pro: Cæl:

testimonium præbent qui conuixêre) sacratiores erant in amore icunculæ; in voluptate arulæ pientiores, in jucundissimo labore, linteola sacris seruitium præstitura in ritibus. Hæc illa manibus concinnabat suis, hæc doctâ acu ad ornatum & maiestatem depingebat, fugax otij, laboris non egens, at amans tamen. Quid illa jam memorem grandiora adolescentiæ ornamenta; cor ad pietatem, oculos ad verecundiam castimoniamq;, manus pedesq; ad omnem imperantis nutum prompta, parata, expedita? Nemo in diuini Numinis amores aspirare ferventius, nemo in sui custodiam inuigilare constantius, nemo jussis parere promptius aulâ totâ videbatur Mariâ Annâ nostrâ; natâ tamen imperare non parere. Sic scilicet magnis rebus parua jam tum adhuc præludebat Maria Anna, & quos adulta paritura erat fructus, in herba ac floribus ostendebat: Castimonia, Susannam; Prudentia animique robore

bore Iuditham; Heſteram modeſtia ac ſubmiſsione animi pollicebatur: nec erat exemplum pauló illuſtrius, quod ei ab Inſtitutoribus non proponeretur, ad quod illa non ſe componeret; vt ab ea vna fidem ſortiri poſsit id Senecæ:

Facilè tenera conciliantur ingenia ad honeſti rectiq; amorem.

Senec: ad Lucil: Epiſt: 16.

VII.



Non

VII.

Non alios passura colores.

Ite cerussantes dextra procul, ite colores
Quos in mentito schemate Mundus amat;
Nil faciunt picta sincero in pectore fraudes,
Pingenda est Diuâ pura tabella manu.
Pinge amor æterni (tuus hic labor) ætheris; à Te
Vno nam pingi nostra tabella petit.

LEMMA.

Gaudebat Princeps nostra MARIÆ nomine; gaudebat & ANNÆ, & vt sæpissime summa voluptate reuoluebat animo; quoties ANNA illa & GENITRICEM Seruatoris vt filiam, & Seruatorem IESVM vt nepotem castissimis vlnis complexa esset; ita dilatabat in gaudio cor suum; vt MARIAM & IESVM castis desiderijs ad se traheret, dulci affectu complecteretur: & quis in eius corde alios pingat characteres?

VIII.



Meta

VIII.

Meta Deus.

Prò quam ſublimi pennâ celeriq́; volatu,
Ad metam (Deus eſt meta) ſagitta volat.
Nil nocet intenſus grauiter ſi rumpitur arcus,
Meta leue hoc damnum tam precioſa facit.
O meta! ô centrum! ſi huc omnia corda volarent,
Omnia quam ſanctè corda quieta forent.

L E M M A.

Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec reuertatur ad te, dixit alicubi Auguſtinus, ſenſit in omni vitâ MARIA ANNA. Itaq; huius ſanctioris quietis auida cœpit à teneris animum ad cœleſtia vertere; & hoc velut arcu tenſo, iacula mittere deſideriorum, velocia, ſuauia, fortia, penetrantia vſq; ad thronum DEI. Nec cura fuit ne qua rumperetur arcus: imò votum hoc fuit, Diſſolui & cum Chriſto eſſe. Felix arcus, felicia iacula, quibus pro ſcopo Deus, pro fructu æternitas.

E

IX.



Ad

IX.

Ad Nutum.

Phœbe tuas quocunq; moues versasq; quadrigas,
Illuc Caltha caput solsequiosa mouet;
Archiducem quocunq; vocat Deus, illa vocantis
Docta sequi nutus obsequiosa ruit.
Ad nutum viuit, moritur: Bene docta, sequelam
Principis ad tumulum solsequiosa docet.

LEMMA.

Caltha Obedientię Typus est genuinus. Venerabundo pronoque vultu, sequitur nutum radiumq; solarem. Hanc tumulo Archiducis defunctæ inseuit Poëta, quam didicit, diuinis paternisq; monitis, semper fuisse obsequentem. Erat scilicet animo eius insculptum ac infixum medullis, vetus illud ἕπου θεῷ Deum sequar. Hic illi scilicet Sol, hoc astrum erat, quod in parentibus, quod in maioribus venerabatur.

X.



CAN-

X.

Candore notabilis ipſo.

Principis innocuos vidêre vbi ſidera mores,
Quis corde candor, quantus in animo foret;
Jllicò nigrantes ſoluêre in lilia nubes,
Jllicoq́; tumba picta lilijs fuit.
O flores! Mores! inuertunt ſidera morem;
Propterq́; mortem non aquam, at flores pluunt.

L E M M A.

Lilijs, quorum prima laus Candor & Odor, Vitæ Candorem, & ſine fuco Mores Principis explicamus. Eadem ſcilicet Principi fuit quæ lilijs gloria. Caſtimoniâ morum, ſupra communem hominum vitam, ſicut lilium ſupra alios flores, aſſurrexit. Omnibus fuit admirationi, omnibus exemplo.

XI.



Non

XI.

Non abſcondetur.

Quid fugitans lucis flammantia lumina condis,
Urbs, MARIA ANNA, Bòis ædificata iugis?
Non eſt aſtrorum fugere, at lucere, nec alto
Quæ ſedet Urbs, homines aut latet illa Deos.
Sed lateat: Tu ne latites, Dux inclyta, viſam,
Uni FERNANDO eſt crede fuiſſe ſatis.

LEMMA.

Neſcit abſcondi Ciuitas ſupra montem poſita; vox veritatis, orbis, ſi ad Principem noſtram referas, votum eſt. Erat quidẽ MARIÆ ANNÆ, (vt eſſe ſolet Principum omniũ,) vita in excelſo poſita, quam, ſi radios ire Modeſtia permiſiſſet, ignoraturus nemo; ſi Modeſtiæ metas nõ poſuiſſet Imperium, nemo viſurus erat. Vidit hanc lucem ita modeſtam, FERDINANDVS, & eduxit; nouus Phoſphorus, nouum ſidus, nõ vt in hoſpitium, ſed vt in thalamum, fœdere non rumpendo, niſi neceſsitate ferreâ, mortis atq; fati. VIR-

VIRTVTIS
de
MARIA ANNA.
Triumphus.

ITe mei, semper magnum decus, ite iugales,
Ut pede non solito Boica regna sonent.
Jam noua se nostris iunxerunt signa triumphis,
Signa leoninis facta superba iubis.
Est aliquid rapidis aquilas iunxisse quadrigis;
Non minus at didicit quod Leo fræna pati.
Jte igitur, victamq; Ducem, nostrosq; triumphos,
FERNANDI augustis sistite præ foribus;
Quod si (de vultu dabitur cognoscere mentem)
Quæ fuerit nostris gratia muneribus,
Dicite, (post meriti præmissum nomen honoris)
VIRTVS HAEC THALAMIS DESTINAT ALMA TVIS.

Elo-

Elogium III.

A CONIVGIO.

cum

SERENISS: FERDINANDO A.A.

inito.

HIs virtutibus ornata Princeps nostra, radiabat nimirum, & Auroræ exsurgẽtis in modum *purpureas fores & plena rosarum*, id est, virtutum atria pandens, illud vsurpare visa est Virtutis:

Mecum honor & laudes & læto gloria vultu, Sylui:

Casta mihi domus, & celso stant colle penates.

Quâ causâ, vti non potuit non lucere; ita non potuit non amari; ei maximè, qui virtutem in MARIA ANNA spectabat vnam, SERENISSIMO sponso suo FERDINANDO. Is enim, cum defuncto SERENIS-

NISSIMO PATRE ARCHIDVCE CAROLO, vt maximus natu, Prouinciarum, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & earum, quæ his adnexæ ditionum hæres ſuccederet, ſicut nihil antiquius habuit, quàm Religione atq; Pietate florentiſsimas reddere Regiones, quas non ſatis in eo genere reperiebat locupletes; ita prouidendum ſibi duxit modis omnibus, vt eam in thalamos atq; thronos conſortem deduceret, quæ vt prole domum, ita exemplo Fidem atq; Pietatem apud ſubiectos populos adaugeret. Erat, ſi quæ alia, inter eius æui Principes, huic rei ficta & facta MARIA ANNA, Bauaricæ domus germen eximium, dignum proinde, in Archiducales, in Auſtriacos tranſplantari hortos. Petitur ergo MARIA ANNA FERDINANDO Coniunx, impetratur, ducitur; quâ pompâ, quâ maieſtate, quãtâ omnium gratulatione Ordinum, recentior memoria eſt atq; auguſtior, quã vt calamo patiatur adumbrari. Mihi hoc coniugium non homines magis celebraſ-

ſe,

ſe,quàm Diui cœlites ſecundaſſe felicitaſſeq; videntur. Nam vt mittam, nouo hoc vinculo ampliſsimas domos Auſtriacam & Bauaricam, nunquam ſoluendo nexu arctius coaluiſſe; ſcio, nihil in optatiſsimis nuptijs, in coniugio feliciſsimo deſideratum fuiſſe aliquando, quod hic non fulſerit. Pittacus in coniugibus deſiderabat æqualitatem; Antiſthenes, in vxore formæ mediocritatẽ laudabat, quæ nec faſtidium viro moueret ob deformitatem; nec ob inſignem formam pareret ſuſpicionem: Lycurgo virtus æſtimanda ex moribus; Catoni promptus ad parendum animus probabatur; Scripturæ verò ſacratioris, minimè Lesbia regula, pudicitiam, ſobrietatem, fidem in vxore requirit. Omniã hæc in MARIA ANNA videas: nupſit enim Princeps Principi; formam in thalamos, magis tamen (quia hac parte penè vnâ placuerat) virtutem induxit: pudica, non ſui tantum, ſed ſuarum quoque Virginum cuſtos vigilantiſsima, vt ſacrarum Veſta-

lium contubernium potius, quam Principis Gynecæum censeri potuerit Palatinatus ille. De Sobrietate ac Fide nō est quod dicam, quādo aliūs rei ne suspicio quidem, etiam vana locum reperiat. Hinc Coniugum incaluêre amores, in cor, in animam vnam. Quo loco, nouum ego mihi in FERDINANDO Assuerum, nouam in MARIA ANNA Estherem videor intueri. Verè enim de FERDINANDI in MARIAM amoribus dici potest illud: *Adamauit eam Rex plus quam omnes mulieres, habuitq́ gratiam apud eum super omnes*, imò vna inter omnes: verè de MARIÆ in Serenissimum Coniugem veneratione prædicari: *Quicquid ille præcipiebat obseruabat: & ita cuncta faciebat*, ac si *eam paruulam tunc nutriret*. Et quis dubitet, virtutem venerationemque hanc mutuam, magna vtrinq; excitasse incendia, miras sparsisse fauillas, incentrices cordium, in nexus nullo fato asperiore, ne morte quidem ipsâ, dissoluendos. Etsi enim iam nunc ex oculis

Esth:2.17.

Esth:2.20.

atq;

atq; humanis omnibus erepta eſt MARIA ANNA Sereniſsimo Coniugi ſuo FERDINANDO, non eſt tamen erepta ex animis; ſed hæret infixum medullis vulnus, & in amores caſtos, apud æuiternitatem illam profuturos, per preces ad Deum fuſas, per ſacrificia in dies ſingulos deſtinata, per largitiones in pauperes, per hæc ipſa, qualia qualia monumenta litterarum, erumpit. Eant nunc celebrati apud antiquitatem thalami:

> Arſerit Euadne flammis iniecta mariti. *Martial:*

Sit etiam;

> Felix Admeti coniunx & lectus Vlyſſis. *Propert: lib: 2.*

non æquabit hos thalamos, hos amores non aſſequetur.

XII.



Crefcit

XII.


Crescit vtrinque.

Felices animæ pietas quas vna maritat,
Augetq́ mutuo igne cælestes faces.
Coniux FERNANDI, FERNANDVS *Coniugis ignes*
Fouet, atq; pietas mutuo exemplo calet.
Cæli ad inaccessos vbi vterq; accesserit ignes,
Tota ignis, ardor, & DEVS pietas erit.

LEMMA.

Bini Cupidines, mutuo Lauri attritu, innuunt pietatem socialem: mutuis scilicet micat Virtus irritata exemplis veluti collisa ossa leonum. Iam enim binæ à MARIA ANNA; iam ternæ à FERDINANDO; subinde ab vtroque plures positæ horæ in templo, in oratione. Neuter vinci voluit pietate. Felix patria vbi Principes certant Pietate.

XIII.



Con-

XIII.


Constans felicitas.

Quamdiu FERNANDO *Còniux* MARIA ANNA *fuisti,*
Lux in amore thori, fax sine nube fuit:
Mox vbi mors pullo sacra funestauit amictu
Fœdera, pallentes astra dedère faces.
Nil dubita FERNANDE *tamen; modo lumen amoris*
Serues, fax Lunæ semper amoris erit.

LEMMA.

Constanti feliciter amori MARIÆ ANNÆ cum FERDINANDO, has oliuas, hanc facem, aram hanc dedicamus. Sol nunquam ita serenus, nunquam mare sic pacatum, ac dies horum fuère coniugales. In gratiam cum MARIA ANNA FERDINANDVS redijt nunquam, quia à gratia discessit nunquam. MARIA ANNA, cœlo, (quod potes) hanc gratiam velis incorruptam.

XIV.



Inui-

XIV.

Inuidendâ æternitate.

Hortorum quis amœna furor neget Auſtriacorum?
Quisue hæc æternum germina liuor edat?
Non imbres cœlo, non deſunt flumina terris;
Terris, tam largas quæ meruêre manus.
Liuor age, in palmas furioſos inſere dentes;
Vnda erit hem totam quæ eluat inuidiam.

L E M M A.

Pulchris ſtare diu Parcarum lege negatum eſt, cantabat ille, neſcio quis, non de triuio tamen vates, & veriſsimê, ſi vel vnum ſpectes FERDINANDI cum MARIA ANNA coniugium. Anno M. DC. Menſe Aprili initum eſt; finitum morte præmatura MARIÆ, ſexto decimo ſupra ſexcenteſimum; quanti anni ad ſpes Auſtriacas hac in domo recumbentes, hoc coniugio concinnatas,

 æter-

æternandas! Sed sperate meliora ARCHIDVCES, nõ annis certare solent agri fertiles, sed frugibus: & sæpè dedit messis vna, quod multæ annis pluribus non tulerunt. Septem lectissimorum liberorum Patrem, FERDINANDVM Archiducem, Genitrix fecit Archidux MARIA ANNA; & accipite mihi sæcula post futura magna nomina, parua numina, sed quæ crescant, cœlo alia iam inserta, alia, vbi terras prius beauerint, inserenda.

CHRISTINA ARCHIDVX AVSTRIAE Anno M. DC. I. Iunio mense, die XII. eodem enata quo nata.

CAROLVS A. A. M. DC. IV. XXV. Maij, fato simili natus & enatus.

IOANNES CAROLVS ARCHIDVX AVSTRIAE, M. DC. V. Kalend: Nouemb: Sol nouus, Sole prope meridiano; secũdam inter ac tertiam horam. Sacro fonte susceptus; à PHILIPPO III. Hispaniarum Rege, & MARGARETHA Regina. Hodie quoq; feliciter superstes. Mortuus est anno 1619. 26 Dec. ... Gratz.

FERDINANDVS ERNESTVS A. A. (in quo nominis ac virtutis hærede totæ ludant Parentis Gratiæ;) natus Anno M. DC. VIII. post noctis medi-

medium, (vt ſicut Deus ſuum dedit luminare diei, ſuum & nocti; ita daret etiam FERDINANDUS) eam quę XIII. Iulij diem anteceſsit. Suſceperunt è fonte ſacro, Geminæ Poloniæ Maieſtates. SIGISMVNDVS III. Rex. CONSTANTIA Regina. Et hunc nobis, vt adhuc ſeruârunt, ſeruent boni ſuperi in res magnas.

MARIA ANNA A. A. Lucem vidit M.DC.X. XIII. Ianuarij die: inſerta Chriſtianitati; Sponſore RVDOLPHO II. Romanorum Imperatore Inuictiſsimo.

CAECILIA RENATA A. A. M.DC.XI. ſexta decima Iulij, in has auras educta: Chriſti charactere inſignita, ſuſceptoribus MAXIMILIANO & ELISABETHÂ Coniugibus, vtriuſq; Bauariæ Ducibus, &c:

LEOPOLDVS GVILELMVS A. A. quem naſcentem tellus Auſtria Neoſtadij lætabunda ſuſcepit, Anno ſalutis natæ M. DC. XIV. Ianuario menſe nocte mediâ eâ, quæ Dominicæ Epiphaniæ pręambula; partum regium decorabat. Suſceptoribus è Baptiſmo Auguſtiſsimis Romanorum Imperatoribus, MATTHIA I. & ANNA Coniugibus.

FOECVNDA
ARCHIDVCVM PARENS
Acrosticho ænigmatico proposita.

AR *bor erat Böiæ claro de germine ter* RAE
CHI *o culta magis Baccho celebratáque, tra* DVX
DV *m venit Austriaco fingenda colendaq; cult* V
CES *pite quo primum posita est, radicibus v* NA
QVI *nq; dedit ramos, plures promptissima fer* RE
NOS *tra nisi exanimẽ meruissent crimina; & il* LI
TER *ra nihil, tumulos præter lacrimasq;, reli* QVIT!

OEDIPO
SERENISSIMO PRINCIPI
IOANNI CAROLO, A. A.

DIc age, dic Princeps, nostrâ quis imagine ludat,
Vni nam alludit stirps generosa tibi.
Exanimisque tuo petit hoc de pectore munus,
Vt post fata tuo viuat ab ingenio.

Elo-

Elogium IV.

AB AMORE EIVS IN DEVM ET COELITES.

MAgnum vero, & si qua aliâ è re, maximum venit Principi nostræ ab amore encomium. Nam, si quod Augustinus ait: *Amor tuus pondus tuum illo fereris quocunq; fereris* : & quod Diuo Dionysio visum; *Mentis quidam secessus est, extasim faciens; amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea, quæ amant penitus transferens* : qui tendentem ad supera MARIÆ ANNÆ animum, & in solo DEO cœlitibusq; suauissimè iucundissimeq; acquiescentem, intuitus fuerit, quid aliud apud animum suum statuet de MARIA, quam optimam fuisse Princi-

August:

Dionys:

pem,

pem, quæ amauit optimum Deum, cœlites optimos. *Mores enim nostri*, inquit Augustinus, iam laudatus, *non ex eo, quod quisq; nouit, sed ex eo quod diligit dijudicari solent, nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores*. Quæ vero dedit nobis MARIA ANNA huius amoris argumenta; quibus è fauillis in hæc arcana incendia, in ardores ita sacros deuenimus? Multis vero per omnem vitam ijsque illustrib⁹, raris, singularib⁹, siue arcanorũ conscios parietes, testes suspiriorum ac gemituum in cœlos ac cœlestia; siue sacras toto Gratio ædes intueamur. Solenne illi erat ternis minimum quotidie Sacerdotibus sacra offerentibus, idq; genibus nixæ, deuotissimè interesse; statum sacrarum precum pensum religiosè persoluere; nunquam illam alio quam orantis aspexit habitu, siue exoriens Sol iste siue cadens. Nec vocis illi modo ac labiorum nota precatio, in altiorem sese penetrârat orandi rationem; quæ tacitis sensibus sine strepitu, sola cordis

August: ep: ad Maced:

dis agitatione, mentis ratiocinium in diuinis occupat laudibus, & arcana fidei nostræ contemplans, affectus omnes fundit effunditq; in Deum. Huic cum esset addictissima exercitio, nimirum consecuta est, quod sanctissima illa Paula, Hieronymo rei huius testi, de se iurabat: *cerneret vt oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepi Dominum, & Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, Nutritium sedulum, Pastores nocte venientes, vt viderent VERBVM, quod factũ erat.* Hinc illę Regales cunæ, Natalitia illa præsepiola, auro, gemmisq; nitentia, illæ fasciolæ de bysso, de purpurâ, quibus per Natales Seruatori ferias, Regium conclaue adornabat; quibus adgeniculabatur, & Seruatoris crepundia iucundissimè celebrabat. Vt mittam Cœnotaphia, Seruatori Passo extructa magnificè, altariá puris fulgentia margarythis, & quasi eam vnam in rem opes omnes profundendæ essent, maiestatem in his rebus penę luxuriantem: quod

Hyeron:

H tem-

templum, quis cœtus, quæ ſacra ædes, quæ de liberali eius manu nõ effulgeat? ita ſcilicet effuſus amor vnis parietibus claudi non poterat; nec volebat videre alicubi pauperem, quem in corde ſuo tam diuitem, tam locupletem ſentiebat DEVM. De Sanctis quid dicam? quorum ſacra lipſana, auro gemmiſque exornabat; quorum dies feſtos veneratione ſumma exigebat; quorum veſtigia tam ſtudioſè ſectabatur. Habebat in veneratione poſt DEVM præcipuâ, Diuam DEI Parentem MARIAM, & illam prodigioſæ Sanctitatis fœminam CATHARINAM de Senis: has ſibi ſectandas, has inuocandas cum primis ſtatuerat, eamque in rem vtriuſq; res geſtas, lectitare ſolebat frequentius; & vt quodque maximè ſibi oportunum reperiebat, notare accuratius. His exercitijs pietatis; his velut ſemitis, concitatiſsimo curſu, in ſcopum ſuum, IESVM & MARIAM contendebat.

HVC

HVC CVRSVS FVIT.

I	nter ſidera quæro chariore	M
E	t de luminibus nitentior	A
S	ector lumina; ſi, quod optat ardo	R
V	aluas forſitan incidam in Cupit	I
S	acris Sponſa cubilibus locand	A

Certatum ſatis eſt, tuto ſtat littore puppis,
Plus nunquam potuit poſcere noſter Amor:
Dextera me Nati, me Matris læua tuetur;
An potui curſu proſperiore frui?

XV.



Sacris

XV.

Sacris ignibus ardet.

Quos cœlo MARIA ANNA capit feruente calores,
Hos facit è casto vt pectore flamma volent;
Inde mari medio videas flammescere puppes,
Et liquidum in flammas ire & abire mare:
Nec mirum, tantos calor is quod concitet ignes;
Vndarum est dominus scilicet ille calor.

LEMMA.

Speculum Archimedis memorabile antiquitati fuit; quod soli oppositũ, acceptos exinde radios in hostilem classem retorquens, ardere fecerit inuitâ Neptuniâ, medijs frigentibusq; in vndis. Ne hoc antiquitati prodigium inuideamus, fecit MARIA ANNA, cuius castissimum pectus, vbi cœlico amore exarsisset, eos etiam quibuscum agebat, ijsdem calere flammis, ijsdem ardere faciebat ignib⁹. Id hæretici doceant, ab errore; liberioris vitæ homines, ab impietate reuocati.

XV.



Sacris

XV.

Sacris ignibus ardet.

Quos cœlo MARIA ANNA capit feruente calores,
Hos facit è casto vt pectore flamma volent;
Inde mari medio videas flammescere puppes,
Et liquidum in flammas ire & abire mare:
Nec mirum, tantos calor is quod concitet ignes;
Vndarum est dominus scilicet ille calor.

LEMMA.

Speculum Archimedis memorabile antiquitati fuit; quod soli oppositũ, acceptos exinde radios in hostilem classem retorquens, ardere fecerit inuitâ Neptuniâ, medijs frigentibusq; in vndis. Ne hoc antiquitati prodigium inuideamus, fecit MARIA ANNA, cuius castissimum pectus, vbi cœlico amore exarsisset, eos etiam quibuscum agebat, ijsdem calere flammis, ijsdem ardere faciebat ignib⁹. Id hæretici doceant, ab errore; liberioris vitæ homines, ab impietate reuocati.

XVI.



Quis

XVI.

Quis dormitet?

Dum tuba de ſacris vocat in ſublime trophæis,
Ecquis adhuc ſegni torpeat ore ſopor?
Vna ſatis multas tuba docta ciere phalanges,
Vna tubas plures quæritet anne phalanx?
Non ita; ſed cunctæ ſileant ſi forte phalanges:
Vna ſatis cunctis ſit MARIA ANNA tuba.

LEMMA.

Themiſtoclem non alia res magis extulit ad bellica, quam trophæa Miltiadis; hæ illi tubę, hoc campeſtre erat claſsicum, quod ſomnum noctibus, quod quietem luce rapiebat. Vis tibi MARIÆ ANNÆ tubas dicam ac claſsica? Sanctorum quæ legebat exempla ea erãt, tot tantáq; vndequáq;, vt nullâ parte torpor obrepere, nullâ ſe rimulâ ſegnities inſinuare auderet, cum interim inſinuarent ſeſe in MARIÆ mores, ea ipſa quæ legebat pietatis documenta, virtutis incentiua.

XVII.



Aeter-

XVII.

Aeterni fœdera Connubij.

Ardeſcit MARIA ANNA *polis cæliq; viciſsim,*
Plurimus in MARIAE *pectora feruor auet;*
Vna tamen tantos fax impedit area nexus,
Et capit inuitas ignis ab igne moras.
Dum tamen hic retinent terreni fœdera lecti,
Sidera venturi fœdera ſorte thori.

LEMMA.

Arrhæ hæ ſunt quas vides, annulus quẽ bona Coniugis gratiâ, grato etiã comitatu, ſine iniuriâ, imò multo fœnore thori ſocialis, futuris in Aeternitate nuptijs præmittebat MARIA ANNA, dum in temporali thalamo, Aeternitatis connubiũ meditaretur. Et quoniã niſi ſolutæ de corpore, introire in illa gaudia nõ dabatur; ſæpe ſuos hic amores intuita; Heu mihi, inquiebat, quia incolatus meus prolongat'; & ſe ſolans; reſpondebat. ſed nõ elongata æternitas. Vtinam talia ſecum corda mortaliũ, ſiue vota, ſiue reſponſa. I Epi-

Epinicion
DIVINO AMORI
de
ARCHIDVCE MARIA ANNA
triumphanti.

VIcisti, puer alme, sed volentem, &
Vltrò sub iuga concito volatu
Pergentem ARCHIDVCEM: an minutioris
Hinc Victoria gloriæ putanda est?
Nequaquam: ast geminâ beanda laude.
Sic namq; ARCHIDVCEM puer triumphas,
Vt se Dux mage detriumphet ipsam.
O Victoria clara, quam trophæo
Victæ, non minus inclytam videmus,
Quam Victoris adoreâ superbam!

Elo-

Elogium V.

A VIRTVTIBVS HEROICIS.

RAra auis in terris, nigroque simillima cygno Mulier fortis; cuius proinde ab vltimis vsque finibus precium sapientissimus Regum pronuntiauit Salomon: fuit tamen MARIA ANNA, eâ in re maximè, in quâ minimè sui potens solet esse, sexus ille vniuersus: paßionibus, inquam, atque animi affectionibus cohibēdis, & rectæ rationis frœno retinendis. Et quidni hinc potißimum Fortitudinis deducamus encomium, quando hác parte penè vnâ verè fortem ac Heroa Vates nobis ipse proclamat.

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia.

Et longè ſapientiore metro accinens Boëtius.

Boët: lib: 3. Met: 5.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla,
Fœdis ſubmittat habenis.

Domuit vero PRINCEPS noſtra; nec ante etiam victrix de pugna quam de vitæ ſtatione diſceſsit. Habet ſexus fœmineus hæc potiſsimum vitia, quibuſcum certet, quibuſque ijſdem parte maximâ ſuccumbat; oculorum aio atque linguæ volubilitatem, mentis, hinc faſtum, inde in conſilijs pertinaciam, in aduerſis impotentem deiectionem; quibus ſi dolum addideris, næ tu propè acceſſeris ad illam fœminæ apud Euripidem confeſsionem.

Eurip: in Dana:

Εἰ γὰρ δόλοισιν ἦν τὸ νικητήριον
Ἡ μεῖσ ἂν ἀνδρῶν ἔχομεν τυραννίδα.
Si in dolis eſſet Victoria
Nos ſanè in viros haberemus Imperium.

At hæc omnia MARIA ANNA ita domuerat, vt aut habuiſſe nunquam, aut viciſſe ſemper credi poſsit. Nam ſi oculos

los ſpectemus, nihil illâ modeſtius: ſi linguam; nihil magis taciturnum: ſi animum, nihil in aduerſis infractius, nihil ſubmiſsius in ſentiendo. Dolus porrò tam ab eo pectore longè remotus, quam à ſole tenebræ, ab igne frigus, & à vaſto mari ſiccitas. Ibat Maria, non rarò curru patulo, vel ad D. Virginis, quam ab Auxilijs nominamus ſacram in ſuburbijs ædem; vel ad ſacrum Diuæ Claræ Cœnobium, per celeberrima frequentiſſimo populo vrbis loca, cumque omnibus ſpectaretur, ipſa ſpectabat neminem, obtutu quaſi ſemine modeſtiſsimè decidente in terram, è quà ſibi regiæ ſubmiſsionis flores enaſci, Heröina noſtra perſentiſcebat. Itaq; ſolem imitabatur, qui cum omnibus det videre, videt ipſe nihil. O oculi! ô Modeſtia! Linguæ porro moderatio ei tāta, quantā vix ſperes à fœminâ. Nunquam elapſum ex ore eius verbulum imprudentius; nunquam audita eſt pandere quod egeret ſilentio, imò laborare etiam

visa, ne silenda alijs, ipsa intelligeret. Memini enim inter eas laudes Principis, quæ paucioribus innotuêre, audiuisse me MARIAM nostram eô quoque nomine commendari, quod cum Serenissimo Coniugi, & à secreti tenacitate esset notissima, & ab amore familiarissima; nunquam tamen ea vel sermoni suo, vel cogitationi voluerit esse argumentũ, quæ gubernationis momenta, vel summis etiam vnguib⁹, attingerent: quam Virtutem, si Romana illa Consularis, vel à limine salutasset, hodie quoque forsan curiam calcarent Prætextati, &, vt teneræ ab adultis luscinię, cãtum discerent patriæ salutarem. Ex quo mihi facilior debet esse fides de moderatione animi ARCHIDVCIS nostræ locuturo. Non cadebat in illam quod de vniuerso genere fœminarum Plautinianus habet Comœdus:

> *Malê quod mulier incœpit nisi efficere impetrat,*
> *Id illi morbo, id illi senio, ea illi miseræ miseria est.*

Nam, si quid ab illâ aliquando in ijs quæ cu-

curam eius contingebant, etiam saluberrimè constitutum, intellexisse tà Serenissimo Coniuge, vel probari minus, vel aliter aliâ occasione imperatũ; tum verò promptissima erat reducere calculum, tota in eo vno adlaborans, vt esset Mariti voluntas pro amussi, pro Imperio nutus. De submissione animi, de candore fraudis nescio, nihil dico; tantum admirari hic lubet, inuictæ infractæque in aduersis Constantiæ Maiestatem. In quo reuoco te, Lector, ad ea, quæ cum de Coniugio scriberemus, quasi leui calamo, indicata tibi magis quam dicta. Cum primum MARIA ANNA mater esse cœpit; cœpit causâ eâdem quâ felix debuerat, infelix reputari. Vnde enim à partu reliquis solet esse solatium, inde MARIÆ luctus accrescebat; cum, quam prolem ipsa edidisset, eam vix expectatâ sacratioris vndæ aspergine, mors atra surriperet; vt præstare videretur non genuisse, quam tot doloribus enixam prolem, maiori gemitu perdidisse.

Non

Non perdebat tamen ipſa ſeſe Auguſta Princeps: & cum ſecundùm quoq; idem infortunium accidiſſet, animo non modo non cadebat, ſed aſſurgebat quoque, viſa ire ex malis in aſſuetudinem patiendi, in merendi granditatem. Ilias mihi texenda foret ſi hoc argumentum minutim decurrerem; tantum dico, ſicut Principes magni grandiores reliquis gerunt cruces, iuxta id Poëtæ:

Ouid: 3. Triſt: Eleg: 4.

Effugit hybernas demiſſa antenna procellas,
Lataque plus paruis vela timoris habent:

ita Principem noſtram in euentu omnino oſtendiſſe, magnis ſeſe rebus natam; ſi proſperæ currant, ferendis moderatè; ſi aduerſæ veniant, ſuſtinendis patienter. Quin' hic mihi Eccleſiaſtica ſit tuba:

Fortem virili pectore,
Laudemus omnes fœminam?

MV-

MVLIERI FORTI

MARIAE ANNAE A. A.

æternum

Fortitudinis monumentum.

ILluſtres animas fortiſſima pectora bello,
Deſinat ad ſuperas tollere Fama domos.
Toruus Aper, fuluuſq; Leo, Draco, Cerua, Tricorpor,
Herculeâ quamuis occubuère manu :
Ille tamen molles Veneris ſuperare ſagittas,
Omnia qui potuit vincere, non potuit.
Archiduci, Heroes, MARIÆ ANNÆ tendite palmã,
Exſuperat fortes noſtra Camilla Duces.
Vos alios ferro domuiſtis, at illa ſuimet
Victrix, de proprio nunc ouat ingenio.

XVIII.



Secu-

XVIII.

Securè gradior.

Viua leoninis ibas ſpectabilis orbe
Vecta iugis, quamuis, mitis vt agna fores.
Mortua manſuetum vectaris in aſtra per agnum.
Quam mitis vector, miteq; pondus erat!
Securè graderis, Numen viſura, ſed ipſum
Numen, qui ſurſum te vehit Agnus erit.

LEMMA.

Glorioſa dicta ſunt de te Princeps, ſed glorioſior animi tui viſa eſt Manſuetudo: alterum dicunt docentque ſtemmata Bauarica, mœſti Leones, humi relicti. Nam hic,

Semper honos, & ſtemma tuum laudeſque manebunt.

alterum tuus Vector manſuetus Agnus; cuius quoniam imitata es in moribus lenitatem, cœleſtem Agni meruiſti triumphum.

XIX.



Impa-

XIX.

Impauidam feriet.

Tantus parte ſui non vnâ ſæpius in te
Mundus, at immotă, DVX MARIA ANNA ruit;
Quid faceres totus rueret ſi forſitan orbis?
Auderéſne humeros obuia ferre tuos?
Auderem, nec me caſus terreret & orbis,
Fortior vtroq; eſt, quem gero mente, DEVS.

LEMMA.

Atlantis olim humeris terrarum orbem vetuſtas impoſuit; animum notans, Orbi, ſiue imperijs gubernando, ſiue argutâ mentis indagine, pernoſcendo idoneum. Placuit Vati noſtro eundem imponere, MARIÆ ANNÆ, ſiue tumulis, ſiue laudi: Docuit ſcilicet nos exemplo nō vno Auguſta Princeps, nullam calatimoſi orbis (nam felicem quis eſt vel puſio qui non ferat facillime?) partem eſſe quâ premi poſsit. quis non fidenter adſeueret; nec à toto mouendam loco ſi irruat?

XX.



It vul-

XX.

It vultu ſemper eodem.

Tendit ab Eöis media in conuexa polorum
Phœbus, & occiduis itq; reditq; plagis;
Et cum per varias mittat ſua lumina terras,
Lumina non variâ conditione iacit:
Hoc MARIA ANNA *tuum eſt, variâ nil ſorte moueri,*
Semper & innubem frontis habere diem.

LEMMA.

Hoc vero conſtantis animi, hoc Heroici ſemper habitum; non arare mœroribus frontem, cum fortuna aduerſa eſt; nō exporrigere ad effuſionem, cum adflat proſperior: idem ſit ſemper faciei habitus, idem color, ei qui Conſtantis nomen cupit indipiſci. Hoc vero in Archiduce noſtra vidimus, hoc mirati ſumus nos olim; nunc cœlites venerantur; coronat DEVS.

XXI.



Vis

XXI.

Vis neſcia frangi.

Quicquid in aduerſâ Pontus parit inuidus vndâ,
Infeſtâ petijt te, MARIA ANNA, manu,
Adfuit extremùm Mors ſæua furore ſupremo;
Expulit illa Animam, ſuſtulit illa diem.
Tu tamen inuictæ ſimilis moritura ſtetiſti:
Jam quoq; , ſtas cœlis, neſcia morte premi.

LEMMA.

Vehebat prẹſtantem MARIA ANNA theſaurũ, cum in corpore velut ornatiſsima naui cœlo natam animã vehebat. Mare magnũ & periculoſum, vel calamitatũ, vel vitiorũ, in quo nauigabat, nõ ignorauit. Turbines vndiq;, & vndiq; procellæ morborum in eam ſæpè irruebant. Illa tamẽ periculi & timoris expers in medijs ſemper tempeſtatib⁹ ſecura conſtitit. Scilicet anchorã in cœlum, ſpem omnẽ in Diuinũ proiecit præſidiũ. Felix cõſtantia, ſpes, fortunatæ! lucebitis, ò binæ faces, in luce & caligine, fulgebitis æternùm.

L

Inuictæ Heroinæ

MARIAE ANNAE

Inuictis amoribus

SACRA ARA.

MIRANDA RADIANT SACRA HÆC ALTARIA LVCE

Altitonantis enim construit illa manuS

Resplendet altum cœlicis flammis capuT,

Jpsasq; spontè ad victimas, quam celere, vaH.

Adcurrit ignis arte! quam sacer DEO

Augustiore in pectore ardescit focuS!

Non Ætna summo vertice hem tantũ caleT.

Nec ratio desit; Diuino flagrat amorI

Arâ NAM PRINCEPS HOSTIA FACTA SVA.

Elogium VI.

AB ASPERITATE VITAE.

RArum verò, & quod in Principem vix cadat, Amice Lector, elogium, tibi polliceri videri possum. Quid enim cū asperitate delicijs; quid cum cilicio Palatinis; quid aulæ cum flagello? quando & ipsa veritatis voce, in domibus Regum atque Principum, mollibus vestiti homines requirendi. Ita mihi defensione penè magis hic opus, quam laudatione. Dicam tamen, & MARIAM ANNAM tibi proponam, non qualis ibat spectabilis populo per vrbana; sed qualis in secreto regalis cubiculi, remotis arbitris,

ſpectatori DEO adſiſtebat; amictam pro nitente purpurâ, ſacco cilicino; & pro ſceptro regio, manus armatam flagello; ſulcantem verberibus corpus, duróque crine tenella membra arrodentem. Talis quondam in muris Samariæ conſpectus eſt populo ſuo Rex Iſraelis Ioram, cum ſciſsis dolore veſtibus; *vidit omnis populus cilicium quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus*: talis hodie volo ſpectetur Gratienſibus ſuis Princeps MARIA ANNA; talis orbi innoteſcat; vt exemplo diſcat ab vno Mundus, & decipi poſſe ſe ſplendore ſuo; & ſub radiante gemmis & auro purpurâ, pœnitentiæ ac aſperitati regiam poſſe exædificari. Solebat ergo MARIA ANNA per dies ſummo Ieiunio ſacros, vt acerbiſsima Seruatoris noſtri tormenta magis imprimeret animo, tribus in hebdomadas ſingulas diebus premere duro cilicio corpus; & vt ad flagellatum accedere propius, ipſa ſe ſexta maioris hebdomadæ feria, ſuis manibus flagello cedere.

4. Regum 6.

re. In quo vt mirentur imperitiores, delicatiores non indignentur Palatini; MARGARETHAM Regis Hungarorum filiam; nec non RADEGVNDIM Francorum Reginam habuit ante ambulatrices; quarũ altera (vt Surius teſtis eſt) mox vt ſeptimum ætatis annum attigit, *aſperum cilicium ad carnem ferre cœpit, & deinceps per totam vitam in Aduentu Domini, & Quadrageſima, Ieiunijs quatuor temporum, Vigilijs Chriſti, & B. Virginis, Apoſtolorum & præcipuorum Sanctorum*: altera verò (vt eundem exaudias teſtem) *appropinquante Jeiunij tempore, ad religioſam nomine Piam mittebat, cui ad ſanctum propoſitum illa dirigebat veneranter in linteo ſigillatum cilicium. Quod Sancta induens, & ad corpus per totam Quadrageſimam ſubter veſtem regiam, dulcem portabat in ſarcinam.* Magna verò res, quia ſpontanea, quia in principibus, in Reginis; at maxima in MARIA ANNA, quam quiſquis à complexione & viribus notam habuit, penè vltra vi-

Surius tom: 1.

Surius tom: 4.

res aſſumpſiſſe negotium iudicare poteſt. At enim non eſt in pijs hominibus ſpectandum natura quid valeat, ſed quo gratia prouehat. Conſtat mihi eorum fide dignißima relatione, qui hæc ſcire potuerunt ac debuerunt; non his ſeſe finibus paſſam eſſe contineri Principem, latius effuſam, cum neceßitas quæpiam Prouincijs ingrueret. Fuit tempus quo ſacro quodam velut fœdere, ſocietate inita cum perſona & generis & virtutis cognatione ſibi ſimili, in hebdomadas ſingulas, illâ in opere ſociâ; corpus diuerberaret. De Ieiunijs & corpore inediâ afflicto, (quod aliud eſt ſpiritualis ac ſpontanei genus Martyrij,) non dicam aliud, quam ita eam rem cordi fuiſſe Principi, vt vix vllis, ſiue Medici conſulentis, ſiue Confeſſarij præcipientis verbis in id conſilij poſſet induci, vt ſanitati vitæq; conſulens, eam victus per ferias Quadrageſimales adhiberet rationem, quam tot iam morbis tentatum corpuſculum exige-

exigebat. Eant vero nunc Meliteis catellis teneriores homunciones, & Ecclesiasticæ inediæ defugiendæ sibi quærant palliamenta; si in MARIAM ANNAM incederint; habebunt vnde à cursu etiam concitatissimo reuocentur. Tu porrò, Augusta Princeps, virtute isthac Tuâ, ita Heröicâ, ita exaggeratâ, cantabere Camœnis nostris; & si ita fauentes arriserint Superi, celebrabere ad vsque AEVITERNITATEM.

XXII.



Inue-

XXII.

Inuenit quo geminaret.

Ut rosa delicias inter MARIA ANNA tenellas,
Sæpius est artus sueta ferire flagris.
O Rosa iam mundi mordentibus eruta spinis,
Quam benè per cœlos fundis odoris opes?
Discite quos gemma, quos purpura comit & aurum;
Quì dignas cœlo germinet aula rosas.

LEMMA.

Rosam MARIA ANNA suo in horto enasci cupiebat, sed spinas inter quas nasceretur, hortus non habebat. Deliciæ vndique, & vndique diuitiæ spinas perhorrescebant. Verum vbi Diuinus AGNVS affudit imbrem, mox cilicinos inter aculeos & flagella rosam educauit. Quantum est medias inter delicias Virtutis Ingenium!

M

XXIII.



Sub

XXIII.

Sub duro dulcis.

Dulcis in horrenti condit se cortice fructus,
Et munit suaues aspera testa nuces.
Quàm bellè hoc Princeps naturæ dogma secuta est,
Horrenti teneram crine ligata cutim.
Scilicet hoc precio est tutum circumdare vallum,
Et non perdendas condere mentis opes.

LEMMA.

Docere hoc naturæ schemate; hoc MARIANÆ Virtutis exemplo Poëta cōtendit, esse aliquod deliciarum genus quod lateat; & cum amaritudinis contumeliam patiatur, afficiat tamen animum suauissimè, deliciosissimè. Sed commune hoc Alexipharmacis, etiam quibus corpori fit medela; omnia malè audiunt cum benè operentur. At AEsculapij illa saluent, nostris hisce, satis amplum testimonium est ab ARCHIDVCE, à MARIA ANNA.

XXIV.



In

XXIV.

In ſpem æternitatis.

Creſcit ad Auguſtum meſſis fœcunda ſepulchrum,
Et rediuiua iterum ſurgit ad alta ſeges.
O benè concuſſas tritura verbere meſſes,
Verbera cum redimit tam numeroſa ſeges.
Diſcite iam quorſum Princeps ſua membra fatiget,
Quæritur hoc perpes namq; labore quies.

LEMMA.

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; nullum fructum afferet, dixit Veritas: Audijt MARIA ANNA: Itáque granum hoc corporis ſui, quod DEO dante acceperat, centuplâ meſſe beare cupiens, mori voluit ſibi ipſi, vt DEO viueret. & cum alius huic rei non eſſet ager, in quo conderetur, nimirum proſcidit ipſa corpus ſuum flagelli vomere; ſemina iaciens copioſa, vt meſſe potiretur non ieiunâ, Æuiternâ.

ROSÆ AVREÆ
DE ASPERITATIS SPINETO
EFFLORESCENTI.

Florum obſequia.

REGINA in tumulos Roſa tendit, adeſto viretis
In Dominæ, florum gloria, funus abi.

Lilia.

Lactea candidulam circumſtant lilia tumbam,
ARCHIDVCIS niueus vult ea ſigna pudor.

Violæ.

Spargantur violis tumuli; decoranda MARIAE eſt,
Fulgenti violâ non violata fides.

Solſequium.

Principis ad tumulum pie floſcule vertere; Solem
Non meliore potes nam ratione ſequi.

Florum cornucopiæ.

Ad MARIAE tumbas totos fas fundier hortos;
Hortus enim magni Numinis illa fuit.

Elo-

Elogium VII.

A PRÆVIIS AD MORTEM PRAEPARATIONIBVS.

SEnſim ad metam accedimus, punctum id, quod finis temporis, æternitatis initium eſt; & Heroinæ noſtræ, fuit etiam, vt ſperamus, beatitatis. Mortalem ſeſe MARIA ANNA cognoſcebat, non alienâ magis experientiâ, quam ſuâ. Bis ei fatale ſpiculum intorquere Mors viſa eſt; bis fila præciſuræ Parcæ: ſemper tamen fuit Amori locus, ſemper piorum preces intercepêre ictum. Semel eam Vienna iam deploratam, ſemel Gratiæ noſtræ propê depoſitam, ab optimo Numine ſuperſtitem ſibi petiuêre, impetrauêre. Quibus rebus,

rebus, non illa ſegnior, non ſecurior effecta eſt; ſed, cum ſemel noſſet perambulandam, toties iam calcatam lethi viam, itiner ipſa ſibi, aut ſe itineri præſtruebat, illud ſecuta Auguſtini conſilium: *Diſces benè mori, ſi didiceris benè viuere.* Dabat enim operam, vt talem texeret vniuerſam vitæ periodum, qualem eam in extrema clauſula optabat reperiri. Hanc in rem, & ſacram ſynaxin adibat frequentius, & conſcientiam ad iuſti rectique libellam exigebat exactius: nec committebat vt longiuſculè inhæreret animo, ſi quid leuioris noxæ (nam à grauiori totam eius vitam liberat Fama non paucorum) contraxiſſet; ſed abiecta ad Sacerdotis pedes, Confeſsione expiabat. Et quoniam non erat neſcia, quantis in ſuprema cum Morte lucta opus ſit viribus, præſidiarias ſibi copias, è cœlitum laureatis manipulis, legere ac conciliare ſtudebat. Nullum prætermittebat Apoſtolum, cuius diem feſtum ſacramentorum perceptione nõ veneraretur: quod ipſum,

Auguſt: de diſcip: Chriſtian:

ipſum, ijs quoque ſiue Martyrum, ſiue Virginum ſacrarum agitabat diebus omnibus, qui feſti ab Eccleſia celebrantur. Quin ab ea infirmitate, quæ ei ante fatalem ſupremamque, poſtrema aduenerat, octauo quoque die ſacram Synaxim ſumma veneratione adibat, hinc hauſtura robur, hinc vires ſortitura, quibus tertium iam cum morte, ſed æternas corollas tandem allaturâ, luctaretur. Et verò; ſi hinc promptiſsimem largientis Dei dextram; inde Principis noſtræ vota ac ſuſpiria, tam ardentia, tam inflammata attendimus, quis dubitet, benigniſsimum in cœlis Patrem, Spiritum ei dediſſe bonum ac fortem, qui, nec Mortē formidare inſtantem, nec futuris ignotiſque ad æternitatem ex hac vita itineribus metuere, docuerit Principem. Ego equidem, mortem ei in optatis fuiſſe, non vanus augur, ex ijs mihi conijcere videor, quæ non nemini iam ſecundum è lethali morbo educta dixiſſe inaudiui. Aiebat

enim: Eccum, alterâ iam vice, vitam mihi precario à Diuina Maieſtate ſacra mendicabula obtinuiſtis: ecquid verò inde in vos ſolatij, in me verò redundaturum eſt emolumenti? quaſi præſentiſceret animo, hanc valetudinis recuperationem, non tam prolongationem eſſe vitæ, quam æternorum gaudiorum, quæ ſibi cœlo deſtinata quaſi proſpectabat, elongationem. Age verò Virtutũ tuarum Comitatu, Auguſta PRINCEPS, I, pete regna tibi præparata, & hoc punctum Orbis noſtri, tantarum ſegetem miſeriarum contemplata, ride, nunc ſecura in cœlis, faſtum quem calcabas in terris; & iam tui ſecura, tuorum nunc eſto ſolicita Parens ac Patrona.

Vo-

Votum

MARIANNAEVM

HERCVLEO

NON PLVS ULTRA

OPPOSITVM.

TOto est Austriacæ Virtutis gloria præsens
Orbe, repletq; solum Numine, laude salum.
Jam quoq; nec tellus satis est, neq; sufficit æquor;
Ad superas tendit nam MARIA ANNA domos.
J nunc Alcida & metas præfige laboris,
Quas sit adire satis, quas superare nefas.
Quid? vel in Austriaco tibi nemo stemmate par sit?
Unica PLVS VLTRA si MARIA ANNA potest?

XXV.



Et

XXV.

Et nos cedamus Amori.

Alme puer, superos vicisti robore, & ipsâ
Qui tua sentiret sub styge tela, fuit
Numina vincuntur, Diuo & subduntur Amori,
Una pati tantum Mors negat imperium.
Quandò tamen tantæ vitam me Principis oras,
Me quoq; his manibus, dic cecidisse tuis.

LEMMA.

Preces pro incolumitate PRINCIPIS ad DEVM fusas, Amoris isthæc cum Morte lucta repræsentat; ita gratas, ita potentes, vt arcum iam probè tensum, iaculumque penè missum remiserint, interceperint. Et quis aliud expectet ab ijs quas dictauit Amor, Amor excepit? Cum enim & DEVS amaret MARIAM, & homines; facilè vtrorumq; conciliati sunt amores; vt vni donaretur ad tempus, cum altero in æternitatem permansura.

XXVI.



Non

XXVI.

Non incauta futuri.

Lusitat innocuus tumidis Delphinus in vndis,
Jam iam turbandi præscius Oceani.
Nempè satis tutus præuisa pericula ridet,
Quisquis venturis prospicit insidijs.
Ludit ad extremas capuli deducta tenebras
Princeps. nil magnum est; præscia mortis erat.

LEMMA.

Iure Delphinum ARCHIDVCIS nostrę adpingimus tumulo. Lusum ille mari alto agitat, dum suâ egreſsi AEoliâ imo immurmurant mari, procellarum motores Africi. Tuta nempè nouit refugia. Ita actum cum Principe; crebris admonita ictibus, præuidit mortem, non horruit. quin horrorem vertit in amorem, artifice manu Pietatis; quâ cum sidera meruisset, non abhorruit hanc semitam mortis, imò adamauit.

XXVII.



Ma-

XXVII.

Magnum operæ pretium.

Cernis vt in iustam semet vocat A N N A *bilancem,*
Judicij trutinas vt subit ipsa sui?
Scilicet æterna præuertens pondera libræ,
Ipsa sibi Iudex, libraq; facta fuit.
O benè libratam; sua quæ sic pondera fixit,
Vt sub sidereas se leuet vsq; domos.

L E M M A.

Non tam mors terrori mortalibus esse solet, quam, ad quod ipsa est passus, Iudicium de æternitatis domicilio, hinc decedentibus nobis decernendo, subeundum. Id vt leue sibi faceret M A R I A A N N A, & hunc quoq; lapidem remoueret; ipsam se sibi iudicandam proponebat in dies singulos; in id fidens Apostoli: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Felix libella; tantoq; felicior quanto exactior.

SERENISSIMAE PRINCIPIS
MARIAE ANNAE.
AD COELESTEM PATRIAM
ADSPIRATIONES.

VIdit ſuperbo, ferrea, lectulo
Vidit MARIAM Parca quieſcere;
Et triſtibus feſſam querelis,
ARCHIDVCEM hæc geminare vota:
Dum vos beatæ culmina patriæ,
Dum vos ſereni ſideris atria,
Globoſque cœli fulgurantis,
Atque domos video beatas:
Quouſque vinclis impediar tuis
O ſtuppa fallax? quæ remoræ ſolo
Memet retardant? cum locuſtis
Amplius, ah, habitare nolo.
Cœleſtis aulæ limen amabile
Te mî repande; ô patria nobilis,
Quando cupitam contuebor
Siderei faciem Tonantis?
Nunc, nunc recentes indue languidum
Pectus lacertos; crura volatiles

Veſti-

Vestite plumæ, crescat ala,
Ad superas properemus oras.
Inter pudicos alituum choros
Volabo; cœlorum vsque volubiles
Globos penetrabo; Tonantis
Et nitidas habitabo sedes.
Tandem querelis saucia mollibus,
Locuta Parca est; Ne querimonias
Ne funde Princeps, vota Diui
Vota dabunt meliora mites.
Confide felix, ad superos iter
Dudum paratum est; vilia deseres
Spelæa terræ, ac impeditos
Mille dolis hominum incolatus.
Plantata terris, quo Superi vocant
Procede; gazæ & suscipe copiam,
Aerugo quam rostro tenaci
Nec tineæ populantur acres.
Mundum superbum, qui melioribus
Parere sceptris respuit, horridis
Post terga vinclis compulisti,
Vt dominæ famulum potentis.
Quid Cypris, orbis dedecus, impiè

Quæ delicatis Regibus imperat!
Captiua per te gloriosos,
Axe tibi peperit triumphos.
Quantos labores Dux Acherontius
Tibi creauit! cincta potentibus
Virtutis armis, contudisti
Colla ferique caput draconis.
Ergo beatos carceris è sinu
Molire gressus; culmina sideris
Te te laboris triplicata
Messe frui videant beatam.
Hæc fata Clotho; nec mora, forcipe
Scidit Serenæ stamina Principis;
At mens volucri cincta plumâ,
ARCHIDVCIS petit astra victrix.
Sîc Diua terris, Austriadum parens
Erepta, sponso dulce melos canit;
Inserta Diuis, mista puris
Cœlituum residet maniplis.
Sic sic cruento saucia vulnere,
Corpus reliquit triste Nepotibus;
Quod mœsta tellus, quod supremus
Perpetuo lacrimetur æther.

Elo-

Elogium VIII.

A MORTE, PIE, SANCTEQVE OBITÂ.

ANNVS agebatur, ſextus decimus, ſupra milleſimum ſexcenteſimũ; dies Martij Menſis octaua; cum Sereniſsima Pientiſsimaque Princeps MARIA ANNA, animam, tot aduerſitatibus, ſiue ſpontè accitis, ſiue fortuitò aduenientibus exercitam, tot excultam virtutibus, DEO Creatori ſuo reddidit; ex Auguſtiſsimis, Sereniſsimi FERDINANDI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, &c: thalamis, ad æternas, Agni cœleſtis nuptias euocata, ipſo ineuntis diei primordio, ipſis diurnæ lucis initijs. Ita ſcilicet illuceſcente aurora, deduci ad thalamos

lamos Sponſa debuit, quæ rorulentam calamitatibus vitæ huius noctem, benè vigil, & inſtructa exigens, aduentum dilecti fuerat præſtolata. Sed noſſe cupies, vt amat fieri, totam hanc cataſtrophen enucleatius. Breuis narratio eſt, non te celabo. Dies qui mortem eius tertius antecedebat, Dominicus erat, eum MARIA ANNA, pro impoſitâ ſibi lege, expiato per Cõfeſſionem animo, & cœleſti viatico ſuſcepto, feſtum agitabat, non ſine inſolitæ, quâ mens eius imbuebatur lætitiæ ſignificatione. Credidimus, qui ab euentu præſagia poſtmodum expendimus, cygneas fuiſſe illas voces, cœleſtia iubila, quibus animã, cœleſtibus deſtinatam gaudijs imbuebat DEVS, vt iam tunc pæana inciperet, quod in Aeternitatem erat decantatura. Et vide, quam neque irrita ſint apud DEVM precantium vota; neq; aggrauet optimus Paterfamilias labores ſeruis ſuis. Solicitam habuerat ARCHIDVCEM noſtram cum primis ea cura; ne quo caſu, non

ſatis

ſatis à Sacramentis munita ex hâc vitâ decederet; quapropter, & illam tam frequentis Synaxeos conſuetudinem, ſpontaneâ ſibi lege indixerat; & præter alias in rem eam preces, annuum D. Barbaræ (quem hâc gratiâ, multâ deuotione pientiores animi ſolennem agunt) diem, ſumma veneratione recolebat: Quibus rebus factum credimus, vt cum eam DEVS Opt: Max: eo morbo de viuorum numero tollere decreuiſſet, qui ſimul ex eâ cum ſanitate rationem exigeret (ſiue quod, vt inſinuabam, iam bis ad mortis duellum exercitam, nollet tertiâ luctâ aggrauare; ſiue (quod magis eſt ad vtilitatem Principis, magis ad DEI benignitatem) vt eam ab illâ, tum exactâ peccatorum expiatione; ab illa tam plena voluptatis, ſacri epuli perceptione, omni labe perpurgatam, omni deinceps, vel leuiſsimè delinquendi periculo vellet exemptam) eas indiderit optimæ Principi cogitationes, quæ ipſam, ad omne momentum, itineri illi, tam in

vtram-

vtramq; partem ancipiti, redderent quàm instructissimam. Nam cum Princeps nostra diem illum Domini, quem dicebam, summâ sacerrimâque lætitiâ exegisset, sub vesperam phrenesi correpta, vt rationis, ita peccati impotens, iam salutis suæ secura; iam & morbi, (nisi quanta, in sopita mente potest eius rei esse notitia) quo tenebatur ignara, extremum iam cum morte ludebat magis quam luctabatur; tandem porrectâ manu, felix illud ad Aeternitatis adyta pessulum arripiens: primâ tertiæ Feriæ (quam prophani Martis nomine indigitarunt) luce, Martium Spiritum, non sine sacro oleo, ex Olympico hoc decedens, DEO Agonethetæ, sacram sanctamq; victimam immolauit. Ita cecidit *arbor* illa *magna* & *fortis*; *cuius pulcherrima folia, & fructus eius nimius*, (vtinam sicut precio ita numero) *subter quam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius cōuersabantur volucres cœli, & ex qua vescebatur omnis caro*: Ita aruit flos ille Boius; tantâ insi-

Daniel: 4. vers. 8.

insignis in Austriacis hortis propagine, Ita candidum illud lilium; ita suaueolens, emarcuit; ita in suam repandum originem, posuit Augustum caput; & cœlo coronandum verticem, tumulo substrauit & vrnæ. Rorate nunc oculi tumulis, qui aliquando florenti arrisistis; date pia suspiria mentes de pectore, huius olim largâ manu confirmato; mœstam obnubite frontem ô capita, ab hac honora propagine, siue illustrata iam olim, siue, si stare diutius licuisset, iam iam illustranda. Discite hoc exemplo tam illustri, siue deberi vos morti, siue præparari.

XXVIII.



Ingre-

XXVIII.

Ingredieris in abundantia ſepulchrum ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo: Iob: 5. verſ; 26.

Ad tumulum graditur Princeps ornata maniplo;
O Mortis antêhac rara prouidentia!
Pauperiem non illa famisue pericula vitat;
Sed otioſa & torpida videri timet.
Jmo, & prouida ſi nunquam & ſtudioſa fuiſſet,
Jnops, famelica, in otio æternùm foret,

Lemma.

Omnia, eaq; illuſtria Heróinæ, virtutum opera in faſcem, & manipulum colligat Poëta. Nil ita fuit illi inuiſum, quam otium. Rara laus Principis, in damno poſuiſſe diem ſi otio perijt ſinè lineâ, ſinè ſtudio virtutis. Quotidie æternæ laudis egit negotium, & ſanctis operibus quæſiuit æternitatem, morte demum indipiſcendam.

P 2

XXIX.



Victi-

XXIX.

Victima digna Ioue.


Dum fera bellorum contagio mœnia pulsat,
Victima fumatis stat MARIA ANNA focis.
Perge bonis flammis, & odoribus astra ferire
Victima, & iratos propitiare polos.
Ne dubita FERNANDE polo quæ victima fumat,
Hostis cœcabit lumen vtrumq; tui.

LEMMA.

Alludit Mystagogus hoc Emblemate, ad prisca Vota Imperatorum, qui teste Plutarcho calamitoso tempore, Superis victimas vouebant, Leones. Occubuit enim eo tempore Bauaricus Leo, Princeps MARIA ANNA, quo Mars hostilis in prouincias FERDINANDI A. A. militem effudit. Verè victima, siue morientis animum; siue superstitis in vitâ functâ fiduciam spectes; minimè vanam, & euentu comprobatam.

P 3

XXX.



Hinc

XXX.

Hinc illæ lacrimæ.

Quis furor ô! diro mœret iam funere Princeps,
Dimidiumq́ animæ perdidit ille suæ;
Funera vos cumulare, & Martem accendere flammis?
Funera sed vobis funera nostra dabunt.
Ista quidem nobis lacrimas irrorat amoris,
Iris, at hæc vobis sanguinis imber erit.

LEMMA.

Iris decus cœli, pluuiæ, pacisque, Poëtis habetur nuncia. Mortuâ Principe belloque afflictâ lacrimoso imbre maduit Styria & vicina Regna, Pacem expectat. Caue sis proinde, qui bella funeraq; misces, ne vicè versa (vt Luna variãtur humana) illata funera non lacrimis; sed tuo sanguine cum fœnore persoluas. Sæpè pax hosti sanguine multo stetit.

XXXI.



Preti-

XXXI.

Pretium non vile.

Thesaurum ingentem misit FERNANDVS *in astra;*
Thesaurus fortis, Dux MARIANNA *fuit.*
Scilicet has voluit cœlis includere Gazas,
Ditari Gazis, his voluère poli.
Ergo non opus est pòsthac Custode Leone;
Custos namq; huius Gazæ, erit ipse DEVS,

LEMMA.

Non vile nec vulgare pretium est fortis Heroina; qualis nulla fuit, si non fuit MARIA ANNA. Huic Leo non tam sanguinis Bauarici fuit insigne, quam Index & Custos Heroicæ Virtutis.

Rara auis interris, nigroq; simillima, Cygno, Fœmina fortis: Ita Poëta. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & ab vltimis finibus pretium eius:* Ita Salomon. Vter melius explicat Emblema?

Q Par-

Parcarum Incusatio.

OB MORTEM SERENISSIMÆ ILLATAM.

VNdiq; lethiferas intentat dira sagittas,
Atropos, Herculeas nec timet illa minas.
Nil adamantæo solidati cardine postes,
Nil iuuat è Pario marmore cæsa domus.
Cuncta quatit; quæ clausa putant, penetralia Regum,
Mox subit & Reges ponere sceptra iubet.
Stemmata nil prosunt, nil prodest sanguine longo
Censeri; ob priscos parcere nescit auos.
Non illam Augustæ Maiestas Principis vnquam
Terruit, aut crispis aulica turba comis.
Non illam torui flexère Satellitis ora,
Aut formidandæ depulit hasta manus.
Ipse ego, prò quoties, ex imo pectore dixi,
Parcite, tam Augustæ, parcite fata Duci.
Sæpius hoc lachrymans iterumq;, iterumq; rogabam,
Vt possem in lachrymas fata mouere meas.

Dumq;

Dumq; rogo, tetrica secuerunt fila sorores,
Heu nimis in tantas aspera fata preces!
Omnia cum precibus flectantur Numina; solis
Parcarum redeunt irrita vota focis.

Earundem
Apud Serenifs: FERDINANDVM.
Deprecatio.

ATROPOS.

ILla ego crudelis, Princeps FERNANDE, parare
Atropos exitium Coniugis ausa tuæ,
Sum tamen hoc, quamuis tristi, sine crimine facto,
Iure nec illa meo, sed cadit officio.
Vrserunt Superi, mandata vrsêre Tonantis,
Insuper, ad superas Dux ijt icta domos.
Inde tibi longas, (quando inter numina viuit)
Imperio, vitæ nectere docta moras.
Ipsa egomet, pensis æternùm ritè rotandis,
Offero perpetuas, si iubet ipsa, rotas.

Parcarum Incusatio.

OB MORTEM SERENISSIMÆ ILLATAM.

VNdiq; lethiferas intentat dira sagittas,
Atropos, Herculeas nec timet illa minas.
Nil adamantæo solidati cardine postes,
Nil iuuat è Pario marmore cæsa domus.
Cuncta quatit; quæ clausa putant, penetralia Regum,
Mox subit & Reges ponere sceptra iubet.
Stemmata nil prosunt, nil prodest sanguine longo
Censeri; ob priscos parcere nescit auos.
Non illam Augustæ Maiestas Principis vnquam
Terruit, aut crispis aulica turba comis.
Non illam torui flexère Satellitis ora,
Aut formidandæ depulit hasta manus.
Ipse ego, prò quoties, ex imo pectore dixi,
Parcite, tam Augustæ, parcite fata Duci.
Sæpius hoc lachrymans iterumq;, iterumq; rogabam,
Ut possem in lachrymas fata mouere meas.

Dumq;

Dumq; rogo, tetrica secuerunt fila sorores,
Heu nimis in tantas aspera fata preces!
Omnia cum precibus flectantur Numina; solis
Parcarum redeunt irrita vota focis.

Earundem
Apud Sereniss: FERDINANDVM.
Deprecatio.

ATROPOS.

ILla ego crudelis, Princeps FERNANDE, parare
Atropos exitium Coniugis ausa tuæ,
Sum tamen hoc, quamuis tristi, sine crimine facto,
Iure nec illa meo, sed cadit officio.
Vrserunt Superi, mandata vrsêre Tonantis,
Insuper, ad superas Dux ijt icta domos.
Inde tibi longas, (quando inter numina viuit)
Imperio, vitæ nectere docta moras.
Ipsa egomet, pensis æternùm ritè rotandis,
Offero perpetuas, si iubet ipsa, rotas.

LACHESIS.

EDite Cæsareo Princeps de Sanguine, fato
Heu, cecidit Coniunx meq; dolente tua.
Nec mihi consuetâ cecidisse Tyrannide credas,
Uno hoc, trux reliquis, funere mitis eram.
Namq; datas summi metas superauerat æui,
Atq; superfuerat nulla trahenda colus.
Si tamen immeritas merui sic Principis iras,
Siq; mihi tantùm non mea culpa nocet:
Parce, dolebo nefas; si fallere fata licebit,
Addidero bustis stamina plura tuis.

CLOTHO.

HEu subijt cursu, mœstissima fata citato,
Me volucrem (fateor) præcipitante rotam;
Heu amor ille tuus, curarum dulce leuamen,
O FERNANDE tuæ laus memoranda domus.
Deprecor (ô raris supplex sum Morta Monarchis)
Error id est ausus, non inimica manus.
Singula nam tanti dum Mundi pensa reuoluo,
Quam citò, tot curas inter, aberrat opus?

TVMV-

TVMVLI.

SACRIS EXVVIIS

Auguſtæ Principis

MARIAE ANNAE.

VIATORI MONITIO.

HIc hic Viator ſiſte, ni piget, greſſum,
Abire noli, dum probè, quis hoc, noris
Marmore tegatur, benè precatus Auguſtæ:
Fortaſſe neſcis cuius hæc ſiet tumba?
Accipe, volentem te edocebo perpaucis.
Hoc poſita buſto clauditur; poli lumen
MARIA ANNA Princeps, nomine ſacro & illu-
Sic nominata; Stēmatis Lotharingi & (ſtri
Sanguinis, Amor Orbis, Auſtriæ ARCHI-
DVX terræ.
Carnioliæ Domina, Carinthiæ Princeps,
Styriȩ decus, Magnique Neptis ALBERTI.
Heû gloria Sereniſsimæ RENATÆ; heû hic

Q 3 Pro-

Propago iacet Augusta Matris Augustæ,
Patris Voluptas inclyti GVILIELMI
Dolorque; Boiorumque lucidum sidus.
Eheu Serenæ Matris hoc iacent ossa
Tumulata marmore: Breue gaudium Fratrum.
Hoc ergo conditur loco pia Herois,
Septem parens germana Liberorum, quam
Dedit recens natam December octauus,
Quam Martij octaua abstulit dies rursum,
Mersans acerbo funeri & truci letho;
Ab innuba Viragine decimo sexto
Anno vigente, sexdecim super secla:
Cui vita Soles circuijt quadraginta
Duos, tricenos ter dies, & vnum vltra.
Hæc cuncta MARIÆ ANNÆ sepulta sunt busto.
I nunc Viator, plura cogita tecum,
Reliqua tacere lacrimæ, & dolor cogunt.

TVMV-

TVMVLVS I.

PIENTISSIMÆ.

SI Pietas claudi Tumulo, si Numina possent,
Hoc Pietas Tumulo condita tota foret.
Dum tamen illa polos & sidera tranat, in vrna hac
Exuuias posuit maxima Diua suas.

TVMVLVS II.

LIBERALISSIMÆ.

NVmina cum precibus, cũ auro ditasset egenos;
Corpore sub tumulos, mẽte sub astra abijt:
Dic age, si neuter Ducis est sine munere Mundus,
Principe dignum aliquod munus vterq; dabit?

TVMVLVS III.

FORTISSIMÆ.

MAlleus æra terit, franguntur marmora ferro,
Et cedit crebris ictibus acta silex.
Vnum est ARCHIDVCIS, nequeant quod vincere, pectus
Impete vel toto, malleus, æra, silex.
Hinc ne tanta illis minuat victoria laudem,
Victricis claudunt mortua membra suæ.

TV-

TVMVLVS IV.

MVNIFICENTISSIMÆ.

FVnde rosas, plenâque manu da thura Viator,
Tali nāq; dabat DVX MARIA ANNA manu:
Quin potius, nostrā si mens æquare MARIAM est,
Pleno funde DVCI thura Sabæa sinu.

TVMVLVS V.

SERENISSIMÆ.

NE tenebras mirare nouas, vmbrasq; Viator,
Quos luctus ARCHIDVCVM parit;
In tumulos abijt nostrum MARIA ANNA serenum;
Quis gaudio locus super?

TVMVLVS VI.

ARCHIDVCI AVSTRIÆ.

DVx nata est, quæ nunc mœsto sub marmore clausa,
Eradiat tumulis ARCHIDVCALE iubar.
Scilicet, & Phœbus medio clarissimus orbe,
Exortu est lucis visus habere minus.

TV-

TVMVLVS VII.

CONIVGI ARCHIDVCALI.

FERNANDI ARCHIDVCIS quondã dulcißima Cõiux,
Illa tot Austriadum ter lacrimanda parens.
Vix moritur, subit astra; sibi de Principe tanta
Est indignatum nil superesse solum.
Cumq; animum haud posset Diua retinere volucrem,
Detinuit gremio viscera sacra suo.

TVMVLVS VIII.

ARCHIDVCVM MATRI.

SEptenis dedit Augustis Dux inclyta lucem;
Et magnum in tenebras condidit ecce caput.
Quam nihil est fulgere solo! tutissima luces,
Cũ iacis e cœlis, Dux MARIA ANNA, iubar.

TVMVLVS IX.

CONTEMPTRICI MORTIS.

FIxerat Augustum postquam mors cuspide pectus,
Et vellet geminâ rumpere fila manu.
Mene putas, inquit Princeps, sic improba vanam,
Ut mihi sit vita tanta cupido breuis?

R Perge

Perge age, quo citius cæsam me linquis in vrna,
Hoc propior Sponso sum fruitura meo.
Dixit, & extremum vulnus generosa recepit:
I nunc, & similes lude Tyranna Duces.

TVMVLVS X.

SPLENDORI PATRIÆ.

CLauditur hoc sacro Princeps MARIA ANNA sepulchro,
Somnumque dormit ferreum.
Quæ benè Styriacis nuper fulgebat in oris,
Nunc axe fulget pulchrius.
Ferrea ferali mors illam vulnere læsit;
Est ferreus qui non dolet.
Vna cũ ARCHIDVCE, heu, iacet orbis gloria nostri,
Vrbisque splendor maximus.

TVMVLVS XI.

BOIORVM CORCVLO.

ADes Viator. Principum & dole vicem,
Quos fata letho dura decernunt pari.

Ducis

Ducis Serenæ corculum Augustissimum,
Isthoc quiescit conditum sub marmore.
Plora Viator. funde lugentes sonos.
Princeps recessit. Boicæ stirpis iubar,
Nostrâ migrauit sede. conscendit polum.
Abi Viator. Principum & dole vicem.

TVMVLVS XII.

DOLORI PRINCIPVM.

DVm terras metâ Princeps veniente supremâ
Linquit, & alituum fertur ad astra rotis.
Flent mœsti, mussantq; Duces, flet subdita tellus,
Styria delicijs flet viduata suis.
Quid mirum? & Diuis si flere liceret Olympi,
Numina iam lacrimis permaduisse putem.

TVMVLVS XIII.

AMORI POPVLI.

MAusolus clari sileat monumenta laboris,
Aurea quæ fuerant, sed pia non fuerant.
Non iactet tumuli vanos Augustus honores,
Dissimulet Babylon busta profana Ducum.

Archidvcis memorāda magis sunt busta Mariae,
Illa aurum splendens, hæc tegit altus amor.

TVMVLVS XIV.

VICTRICI HEROINÆ.

BOica quam genuit, Styri coluêre Toparchæ,
Austriadū Genitrix hic Maria Anna iacet.
Post vitæ exilium, cœli reuocatur ad aulam,
Vt referat meritis dona parata suis.
Ad partam properat post mille pericula palmam,
Postulat hoc eius vita pudica iubar.
Cœlo animam, tumulo liquit cor nobile. mirū est,
Hoc tumulo tantum posse latere decus.

TVMVLVS XV.

NOVO SIDERI.

ADuentantem animam cœlum conspexit, & inquit,
Ingredere Angelicos gemmula nostra lares.
Talia, non mirum, fudit quod pectore dicta;
Hanc voluit stellis adnumerare suis.

TV-

TVMVLVS XVI.

DELICIO DIVVM.

DElicias exosa Poli MARIA ANNA, flagello
Attriuit, tumulis quæ modo membra vides:
Scilicet hoc, de se, trituræ verbere docta
Aptabat Diuum fercula delicijs.
I DVX, ambrosiam tunso sic pectore spirans,
Post homines pastos, sidere pasce DEOS.

TVMVLVS XVII.

IMMORTALITATIS HÆREDI.

HJc iacet, heù quantis opibus Dux inclyta quondam;
Et tamen e tantis abstulit illa nihil.
Omnia cui cœli debentur gaudia, vellet
Secum terrenas ducere diuitias?

TVMVLVS XVIII.

GEMMÆ COELITVM.

REddidit vt Princeps pensum ferale Tonanti,
Et cecidit secto stamine fusa coli.
Ingemuit primùm Tellus; sed mox ait, ista
Debuit haud nostro gemma iacere luto.

Sideribus fas eſt miſceri ſidera claris,
Indigna eſt Tellus Principis exuuijs.
Non benè terrarum tegitur lux nube; niteſcet
Pulchrius in medio lux MARIA ANNA ſolo.

TVMVLVS XIX.

FLORI BOICO.

VT vento ſpirante cadit flos aureus horti,
Sic tua nunc Mortis flamine vita cadit.
Floſcule, ne pigeat falcem ſubijſſe Tonantis,
Pulchrius in ſuperum fronte virere potes.

TVMVLVS XX.

GERMINI LÆTISSIMO.

ILla perauguſtis Diuûm cultiſsima ramis
Arbos, Auſtriaci nuper honora Soli:
En ſpoliata ſuis vt languet frondibus; atque
Exiguo fractis viribus orbe latet:
Fidite ne veſtris agreſtia germina ramis,
Horrida vos lethi falx ſine lege metet.

TV-

TVMVLVS XXI.

ROSÆ PERPETVÆ.

PLenus odoris erat MARIANNAE flosculus, illum
Decerptum manibus Numen in astra tulit.
Reflorescet, ait, rursus. Quis credere posset,
Decerptas iterum crescere posse rosas?

TVMVLVS XXII.

MATRI EGENTIVM.

LIlia sparge rosis permista rubentibus, Hospes,
Fletibus & largis nobile tinge solum.
Hic cecidit Princeps MARIA ANNA. an plura requiris?
Ah, tristes lachrymæ dicere plura vetant.
Principis integritas tibi si perspecta fuisset,
Pronus relliquijs oscula mille dares.
Certa salus inopum. splendor pietatis auitæ,
Hoc sat; tu cineri fausta precatus, abi.

TV-

TVMVLVS XXIII.

ARCHID: NVNQVAM
SATIS DEFLENDÆ.

CVm MARIAM *letho Mors effera mergit iniquo,*
Et tumulata solo Principis ossa iacent;
Cur tantus rutilo descendit ab æthere nimbus?
Et subitas pluuius spargit Olympus aquas?
Augusta quia non sat plangunt funera terræ;
Cœlũ pro terris soluitur in lacrymas

SOLI

SOLI AVSTRIACO
Occumbenti Terris, Cœlo Orienti.

CHORVS PLANETARVM.

Stellæ dederunt lumen in custodijs suis: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus. Et luxerunt ei cum iucunditate. Baruch:3.v.35.

PROLVSIO.

SEptenæ faculæ cœlo labuntur ab alto;
Octauum tumulo sidus inesse stupent:
At Sol qui Magnæ spectârat Principis acta,
Ah quanta dixit Principis iste nitor?
Et mox: Huic læti posthâc lucebimus astro,
Aiunt turba suas eiaculata faces.
Si Corpus tantæ hic circumdant lumine luces,
In cœlis animæ quis rogo splendor erit?

SATVRNVS.

HActenus excelso radiaui climate, tantum
Vt Diuûm colerent secula prisca Patrem.

Sed video in tumulo maius iubar esse, propinquo:
Maius enim mihi Sol conferet iste, iubar.

IVPITER.

VSus sum pridem suffecto lumine gratus,
Phœbe tuo, Sol iam me MARIANNA iuuat.
Hac tales tellure iacit radiosa fauillas,
Quales non iaciunt sidera tota faces.

MARS.

DVm terras cœlis specto, mirabile! cœlum,
Hæreo, num sit humus, sic radiabat humus.
Mausolea tenent iubar hoc, & Principe lucent,
Ah fruar! & fruor, hoc nã MARIANNA dedit.

VENVS.

PVlchrius in cœlo vix est me sidere sidus,
Pulchrius in terris te, MARIANNA, nihil.
Dum tamen adsisto tibi, Princeps, lumine vincor,
Me credam vt toto turpius orbe nihil.

MERCVRIVS.

LEgatum dicunt me secula prisca Tonantis:
Adsum Legatus iam MARIANNA tuus.

E su-

E superâ Diuûm præcessi sede Parentem:
Ad cœli præeo te, MARIANNA, domos.

SOL.

IN medio satis astrorum luxisse, dedisse
Sat iubar est astris, iam MARIANNA dabit.
Gaudete ô cœli, si in terras lumine traxit
Me MARIANNA, dabit sidere quale iubar?

LVNA.

LVximus atratis tenebris, nec lumine nostro:
Hoc lumẽ fuerat nam, MARIANNA, tuum.
Sed ne Cymmerium terras chaos obruat, adsum,
Astris, ad tumulum, concomitata tuum.

HEROINAE
NOSTRAE
Virtus.

Priscarum Heroidum Choro adumbrata.

ACcipe quas veterum virtus ad iusta parauit
Laudes, Austriadum Boigenumque decus.
Nõ, MARIA ANNA, tuæ quod sint virtutis imago;
Sed quod sint lucis perbreuis vmbra tuæ.
Et foret ô vtinam virtus imitabilis vmbris!
Pulchrior in tumulis nulla tabella foret.

LASTHENIA MANTINÆA.

Hac propter scientiam, cum Platonis doctrinam auidè imbiberet, nomen meruit immortale. Laërt: lib:3. & 4.

QVãdo tuos animos Boiiũ Augustissime sanguis,
Quãdo oculos vidi DVX MARIA ANNA tuos:
Excessisse solum, cœlos intrasse putabam,
Et si quid cœlos est super atque DEVM.

Ite,

Ite, licet, vestram magno super æthera plausu,
Tollite Lastheniam docta Lycæa Sophûm.
Sidera si tribuit terras nouisse iacentes,
Ecquid pro cœlis ANNA MARIA feret?

OLYMPIA.

Magni Alexandri magna mater, cum Cassander eam interimi iussisset, iam moriens cauit, ne indecorè caderet. Fulgos: lib:3.

CVm summam lucẽ, cùm funus Olympia sentit,
Sæui Cassandri quod manus atra dedit;
Tunc quoq; iam moriens ne non procũbat honestè
Respicit: hæc etiam cura cadentis erat.
Ah cum mœsta redit MARIÆ morientis imago,
Virtutem credo sic potuisse mori.

TVCCIA.

Vestalis hæc, cum DEAM precata fuisset, plena spe cribro aquam hausit & populo spectanti obtulit, Anno Vrbis 609. Plin: lib:28. cap:2.

SPeret in effusis precibus pia Tuccia Virgo;
Spemq; probet cribro quo grauis vnda iacet.
ANNA MARIA tuas quis spes sat in astra leuabit?
Quod sperare timet Tuccia, id ANNA tenes.
O spes felices! sperasti flammea cœli
Sidera, iam spebus pasceris ANNA tuis.

M I C C A.

Cum Eliensium Tyrannidem occupasset Aristotimus, Philodemi filiam Miccam, postquam multis plagis affecisset, in sinu patris iugulauit. Plutarchus de claris mulieribus cap: 15.

PAtris in amplexu subit impia funera Micca,
Quæque labris sedit vita, profusa piè est.
Heú quantùm Genitor tristi pro funere Gnatę?
Quantum pro fatis, Dux GVLIELME, dares!
Amplexus patrios fugit DVX *ANNA MARIA*,
Iuit & in censum trux Libitina tuum.
Cur fugit? Diuûm credo vt moreretur in vlnis:
Sic fugisse Patrem, sic cecidisse iuuat.

MEGISTONA.

Furebat Aristotimus, Megistona Timoleontis Vxor, carceri inclusa Tyrannum ridebat, & filium vt seruituti eriperet, in conspectu Tyranni neci dare volebat. Plutarch: de clar: mulier: cap: 15.

LAudetur Pietas tua, sæua Megistona, nato
Præ serui quæ optas conditione necem;
Immanis Pietas! Medęæ atrocis imago:
Quæ natis vitam, quam dedit, ipsa rapit.
Nomina si Pietas, titulos si sumere vellet,
Sumeret à titulis, DVX *MARIA ANNA*, tuis.
Nā Mors dum Magnis vult vulnera figere Gnatis,
Ah! est pro Gnatis, Magna perempta Parens.

PIE-

P I E R I A.

Seditio erat inter Iones qui Miletum habitant, aduersus Nelei filias: quibus pacem peperit Pieria, explicato suo apud Phrygium, Nelei filiorum primum, desiderio. Plutarchus de clar: mulier: cap:16.

VIrgineas palmas, Miletum pace reductâ,
Phœbus, Pierię, Pieridesque canant.
At mihi Dux Boiûm diuinę pacis amatrix,
In numeros veniet Cynthie mœste meos.
O quàm, cum roseo pax candida riserat ore,
Duxisti lætos, *Anna Maria*, dies!
Classica rauca sonant, fugis impia bella. & vt absis
Longius, in superos effugis vsque Lares.

B E R E N I C E.

Ludebat alea Ptolomæus, & puer condemnatorum recitabat nomina, vt vel absoluerentur vel plecterentur: eripuit puero chartam Berenice, monens; non obiter de hominis salute agendum. Ælian:

LIttera nigra necem miseris tonat, alea mensis
Subsilit, & Regis pectora lassa leuat.
Heu mihi quid facimus? Berenice clamat, an altũ
Luditur in populi sanguine, Nile, tui?
Quid fecit *Marianna*? sonant fora, curia clamat,
Vrbs erepta sibi gaudia tanta gemit.
Archidvcvm Matrẽ te tantũ ô Anna putabam
Vt video & populis es pia facta Parens,

A M-

LAMPSACE.

Quod è belli calamitatibus Phocenses eripuisset Lampsace, eam defunctam egregio funere in Vrbe decorarunt, atque Vrbem eius nomine Lampsacenam vocauerunt. Plutarch: de clar: mul: cap: 18.

MArmora si meruit, cognomina si dedit vrbi
Lampsaca, quod Mortẽ fregit amore pio.
Quos tumulos MARIA ANNA feres? qua sospite soles
Tot niueos læti viximus Vrbe tuâ.
Nescio (quid scirem?) multũ tamẽ angor. in vno
An pia Pax tumulo ac ANNA MARIA iacent?
Hoc scio, quòd verè tumulo claudantur eodem,
Pax FERNANDE tua, & Pax MARIA ANNA tua.

PAVLLINA.

Vxor Senecæ vnà cum marito dissectis venis in balneo vitam profundere volebat. quod cum Nero intellexisset, misit qui sanguinem sisteret, eamq; morti eriperet. C. Cornel: Tacit: 15. Annal:

ANnæus moritur, fatis comes esse laborat
Coniunx, & tepidas sanguine tingit aquas.
Impius in cædes, sed in hac pius; ire iubebat,
Claudere qui posset vulnera secta Nero.
Heu me! dum curas partiris Coniugis ANNA,
Occumbis tristi funere Magna Parens.
Nec quærat quisquam, cur nõ sint vulnera clausa;
Claudere si nec amor Coniugis illa potest.

TV-

TVRIA.

Q. Lucretium proscriptum à Triumuiris, abditum seruauit, & non sine magno periculo tutum præstitit. Appianus lib: 4.

DAmnatus quando Dominâ Lucretius Vrbe,
Ibat, huic Coniunx Turia turris erat.
Quid, FERNANDE, tibi tua casta MARIA voluptas,
Quid fuit, vt cecinit Marcia bella tuba?
Tu tore, vos thalami scitis. mihi dicere fas sit:
Quæ tibi turris erat, iam tibi Laurus erit.

SVLPICIA.

Ob Lentulum Crustellionem proscriptum, non recusauit se ipsam proscribere, eumq́ in exilium abeuntem prosequi. Valerius Max: lib: 6. cap: 7.

SI cui Sulpiciæ fidi celebrantur amores,
Coniugis vt Coniunx, exulis exul erat.
Si fidos thalamos, si castos quæris amores,
ARCHIDVCIS thalamo discito quid sit amor.
Illa timore leui Latiâ diffugit ab Vrbe;
Hæc hostes inter statque caditque suos.
Tantus amor! tantos quid ni superaret amores?
Heu superat, cùm te DVX MARIANNA rapit.

CAMMA.

Instanter petebat in Coniugem Synorix Cammam, cumq; vim ei, & amicis inferre vellet, à Camma in templum vocatus, venenũ quod ei propinarat Camma hausit, & cum Camma ante aram periјt. Plutarch: de clar: cap: 20.

QVant⁹ amor niuei fuit ô tibi, Camma, pudoris,
Hunc vt non perdas toxica nigra bibis:
Quantus amor cœli tibi DVX ô ANNA MARIA,
Hunc vt non perdas funera mœsta subis.
Heu auidas nimium mentes! properamus amare
ARCHIDVCEM, & nobis consociare nimis.
Perdimus optatam, perit illa, perimus in illa
Nos quoque. quot sæuus funera fecit amor?

JOHANNA.

Virgo Gallica Papare Patre nata, equo insidens, Aurelianorum Vrbem obsidione liberauit: vnde exercitu ad Trecas producto, Carolum Septimum Rhemis in Regem coronari iussit. Thomas Bozius aduer: Macch: de rob: Bell: cap: 8.

COrpora si spectes, imbellis Virgo Iohanna est,
Si spectas animi robora, crede virum.
Caroleo capiti dedit hæc insignia Regis,
An maiora putas hanc potuisse dare?
Hãc superat tua iam Princeps, MARIANNA, Iohãnã
Quod terrena tibi & cœlica serta paret.

POR-

PORCIA.

Fidem in arcanis silendis sic probauit Porcia Bruto, vt è vulnere quod sibi inflixerat, ad doloris tolerantiam condiscendam, sit mortua. Dio Cassius.

ELoquar! an sileam? se vulnere Porcia mactat,
Arcana vt thalami conticuisse queat.
Heu virtus ignaua! toros, FERNANDE, rogato
Illos, quos Virtus sueuit amare toros.
Quid dicent? MARIANNÀ tuos an prodidit ausus?
Inscia stratâ gement, mutus eritque torus.

HARMONIA.

Ad necem quæritur, nutrix hanc abdit, & aliam morti obijcit: audit hæc Harmonia, & sponte se hosti offert concidendam. Valerius Maximus lib: 3. cap: 2.

HArmoniam fatis Nutrix subduxit iniquis:
Illa in fata tamen sed generosa ruit.
Te quantis precibus voluit subducere Parcis
FERNANDVS, quantis Vrbs tua! templa tua!
Tu tamen in funus properas, Vrbemq; relinquis,
Et templa, & iunctum pectus amore sacro.
Scilicet his terris existi & in astra volasti:
Perge, vola; inuideat hoc tibi terra licet.

THIMOCLIA.

Militem Græcum, domū suam vastantem, ad puteum perduxit, & thesaurum velut ostendens, pronum eò præcipitauit: adducta ad Alexandrum constanti animo facinus fassa libera dimittitur. Sabell: lib: 5.

VIctorem Græcum Thebana Timoclia vicit,
Tantùm animi Virtus imperiosa gerit!
Prisca sed ó timeat virtus certamen inire,
Puluère si præstans ANNA MARIA micet.
Quid non magna Ducis Pietas deuincere posset?
Omnia, cum Pietas omnia vicit, habet.

SERENISSIMAE AD COROLLAS Euocatio.

NVnc tandē, MARIA ANNA, tuo pete sidera gressu,
Ecce tibi faciles iam patuère poli.
Nunc demum posuère minas morbiq; luesq;,
Non posthac serpens corpora languor edet;
Finiet extremum tibi gloria nostra dolorem,
Si grauis iste fuit, non erit illa leuis.

Elo-

Elogium IX.

A LVCTV ET LA-CRIMIS.

NVNQVAM animus fuit, parem meritis Augustæ Principis adferre dilaudationē, ac ne enumerationem quidem: quia & multitudo memoriā, & magnitudo superat, siue linguæ facundiā edicentis, siue stili elegantiam describentis Itaq; extremū ad pictoria nobis compendia recurrendum, vt totum sit ad vmbras confugium, summum à luctu atque lacrimis subsidium. Ecquis enim dubitare possit excellsam fuisse virtutem eius, ad cuius casum flent ARCHIDVCES; Principes lacrimantur; summi, infimi, medioximique

in ploratus effusi, inter mœsta suspiria, gemitusque imo pectore ductos, ructant laudes ARCHIDVCIS, dum queruntur orbitatem suam. Quæ vero tandem Europâ penè omni plaga est; quam non luctus huius pars aliqua resperserit. Duas Aquila nostra alas habuit; Sanguinis vnã, Virtutis alteram; vtrâque in immensum expansâ, quid non vmbrarum in terras; quid non in Principem lucis atque laudis effusum? Erat MARIA ANNA, si sanguinem spectes, fibulæ adinstar aureæ, aut adamantini ad modum nexûs; geminas orbis columnas, Austriacam, Bauaricamq; Domum nectentis arctissimè atque vincientis, ita, vt longo lataq; circumductu, vasta terrarum spacia complectebatur, moueri tam fatali manu, iaculo tam ferali tangi non potuit, quin cõcuterentur, quas contingebat altissimæ turres; & multa retro auorum serie, non vetustæ magis domus quam illustres. Hinc pullo sese obnubentem amictu Hispaniarum videas

Maie-

Maieſtatem. Hinc materno quondam radiantem colore Lotharingum, atrato ſyrmate verrentem ſola, tanti, ſiue conſcia luctus, ſiue argumenta. Quid Boiorum de cæde dolor? hinc paternas, fraternas inde decurrens in lachrymas? Arens ad cætera omnia, & res humanas omnes altè deſpiciens, veneranda Patris GVLIELMI ſenectus, non potuit hic non fluere, ac flere copioſe, vno ereptam funere, ſibi Filiam, Coniugem FERDINANDO; lectiſſimis Liberis, in tenellâ iſta ætatula Matrem perneceſſariã. Quid Italię Polonięq; ſororias affineſque lacrimas memorem? ſi nunquam cecidit ARCHIDVX quin orbis ſenſerit vniuerſus; cum cadit illa, in qua ſpes Auſtria concinnabat ſuas, quæ non littora perſentiſcant, quæ non de vallibus Echo, errantes in montibus luctus, mœſtius penè reuerberet, quam accepit? Sed quid nos extera illa ac peregrina? nẽpe ſolatia illa ſunt, cum domeſtica intuemur. FERDINANDVM, hinc fraterno

Sere-

Serenissimi Maximiliani funere; inde improuiso hostis instructissimi, in Prouincias nihil minus metuentes, incursu penè fractum, nouâ hac, Coniugis dilectissimæ morte, nouâ, dulcissimorum liberorum orbitate, necdum elato, de Archidvcalibvs penetralibus Fratre, gemino luctu, nisi mens tam celsa fuisset, opprimendum: Serenissimum Ioannen Carolvm, filium natu maximum (& quæ, Devs bone, ætatis magnitudo!) vix dum annum supra decadem vnum attingentem, presso iam in maternarum virtutum imitationem vestigio, quasi subsistẽtem in cursu, & Ductricem manum desiderantem: Ferdinandvm Ernestvm, alteram illam Austriæ spem; alterum parentis ocellum, tenerrimis fluentem lacrimis, & presso per Patris Imperium gemitu, imo suspiria pectore glutientem. Et illas geminas faculas, cognominem Matri Mariam Annam, & Ceciliam Renatam; quas, nec dum benè nosce-

noſcere ſinebat ætas, quid amitterent? Et te magnis rebus natum, LEOPOLDVLE ARCHIDVX, quem maternis adludentem funeribus, non fuit oculus, qui videret, & non fleret, te ridentem in ærumnis tuis; vt ſic omniū oculis fleres vnus; qui in matris funere vnus non lugebas, ludebas vnus. Sed vt mœſto de Palatinatu egrediar; quæ ciuiū cōploratio? quis pauperum de communi parente eiulatus? quis mœror Religioſarum ædium? quis ſquallor in templis? qui gemitus in plateis? qui priuatis in ædibus queſtus? dum hic deplorat Patronam; ille lacrimatur Parentem; omnes vnam queruntur orbitatem. Scilicet omnium ad ſe amores; quibus erat in vita virtutibus, attraxerat MARIA ANNA, & ideo, vna omnium plorabatur mœroribus; & vno funere, multa pectora ſauciabat

V In-

Intuitus

SERENISSIMI
FERDINANDI
in defunctam Coniugem.

Ecquid in aspectu defunctæ Coniugis hæres
FERNANDE? & fixum cur ita lumen habes?
Causa oculi, siccata stupet pia lumina, vidit
Quæ toties lacrimis immaduisse pijs;
Obstupet Augustis riguisse in vultibus orbes,
Crebro vnde ad superos igneus ardor ijt.
Ergóne perpetuo tibi sic lubet ora tueri?
Sic oculis oculos illigat illa tuos?
Aut oculos MARIA ANNA tuos rediuiua reclude;
Aut FERNANDE oculos claude Serene tuos.

LACRIMAE,
SERENISSIMI FERDINANDI ARCHIDVCIS, &c.

XXXII.



Diuel-

XXXII.

Diuellimur.

Heu fera mors charo ſine Coniuge, Coniugis audes
Abs radice ſacras falce ſecare comas?
Si per noſtra iubent Diî germina mittere ferrum,
Vtraq; ſub falcem fac tibi Laurus eat.
Contrahe Magne preces Princeps FERNANDE : *ſuperſis.*
Triſtia ne tecum in funera, mundus eat.

LEMMA.

Siccine ſeparas amara mors? ſic frangis dira neceſsitas, nexus etiam ferreos, etiam adamantinos? Cedendum fatis eſt FERDINANDE. Eâ tibi lege venerat in thalamos MARIA ANNA, vt cum ad ſuos inuitarent Superi, mora non fieret. Præiuit illuc Coniunx; ſequêre; iungendus in æternitate illi, quam in tempore gemis ablatam. Has in vidua domo tibi ſpes cõcinna, hinc dolorem mitiga.

XXXIII.



Quan-

XXXIII.

Quantum licet.

Quid gemis & raptâ mœres pro compare compar?
Non nisi per mortis spicula ad astra via est.
Noui ait: at quæ alijs fuerat Mors causa dolendi;
Sed mihi materies Vita doloris adest.
Hinc dolor; hinc gemitus, quod tranet ad æthera Coniux,
Et nequeat Coniux coniugem ad astra sequi.

LEMMA.

Turtur arenti ramo insidens viduitatis & mœroris Emblema, gemitus perennat ARCHIDVCIS FERDINANDI. Gemit ille scilicet sua Compare viduus, non quod amisit; sed sanctè inuidet, quod solam permisit & præmisit in cælum euntem. *O sine labe inuidia!*

XXXIV.



Alter-

XXXIV.

Alternus amor.


Unus obit mortem; manet vni vita superstes;
Una vtriq; tamen vita erat, vnus amor.
O Sors dura nimis! Coniux si vixit vterq;
Cur non ergo simul possit vterq; mori?
Alternam, ô Superi! mortem concedite amori.
Una vtriq; iterum vita erit, vnus amor.

LEMMA.

Alternos Tyndaridarum Stemmata imitantur occasus. Sed fabulosam Philadelphiam FERDINANDI in Coniugem superauit affectus. Cum enim nec cõuiuere, nec Coniugi commori posset, pro Coniuge optauit mori. Votis defuit moribundæ Coniugis voluntas. Illa cum non posset viuere, etiam noluit Coniugem mori. Proinde moritur illa, & ille pro Coniuge viuit. O mors! ô vita! ô amor!

X

XXXV.



Sere-

XXXV.


Serena nubila.

Purpurea irradiat medio Thaumantis in orbe,
Nempe sui lucem filia patris habet:
Sol pater est; metuatne sibi bona filia noctem,
Quando Patris nomen noctis imago fugit?
AVSTRIACAE (nam posse subest:) lucete tenebræ:
A vestra capient sidera nocte diem.

LEMMA.

Iris adest Serenissime FERDINANDE, inter nubila serenior; inter tristia lætior. Premat hostis non opprimet. MARIA ANNA Iris; pluent Gratiæ, ne dubita. Viuens tibi MARIA ANNA suauis, mortua fortis erit. Arcus Domini tensus est. Iridis Arcus MARIA est; Tuum vtrumque est. Fide, confide & viue. *Magni Dux fœmina facti est.*

XXXVI.



Fœ-

XXXVI.

Fœcundis lacrimis.

Pallida nigrantes Phœbe ſuperabdita nubes,
Inclyte Sol, lacrimas excutit anne tibi?
An potius Matris teneri, tua lilia, Nati,
Has incrementis expetière ſuis?
Lilia ſeu lacrimas, ſeu te petit inclyta Phœbe,
Vnus vtriſq; tuus ſat lacrimatur AMOR.

LEMMA.

Geminæ FERDINANDO lugendi cauſæ: ſuiipſius vna; altera liberorum orbitas: ita hinc Coniunx deflenda venit; inde Mater. Vtrinq; amarę, ſed ab Amore, lacrimæ; quanquam vtiliores eâ parte quâ in liberos depluunt: quando roris vicem habent lamenta, quæ dum plorant, rorant, & vitales in ſobolem depluentes ſuccos; vegetant radice imâ, & in longam poſteritatem non emoriturum germen, progenerant prouehuntq; Mundo.

XXXVII.



Su-

XXXVII.

Supremum officium.

Sat pluit ex oculis; lacrimæ ſatis arua rigaſtis;
Germinet eductis iam bona terra roſis.
Si pergant lacrimæ, tumulos humore reſoluent;
Turbabitq́ pia Coniugis oſſa latex.
I amor: e ſectis vallum compone roſetis;
Hoc melius nulli conuenit officium.

LEMMA.

Sat lacrimarum eſt, FERDINANDE; Ver adeſt, ad roſas conuertere. Et ſi tibi dolori eſt, Cõiugem amiſiſſe; ſit ſolatio talem habuiſſe, quæ viuere vel poſt fata per virtutes poſſet. Non aſpernatur officium MARIA ANNA; ſed lacrimas vetat; ſi adſpergendi ſunt tumuli, roſæ cadant non lacrimæ. Virtutes mentem excitent, non dolores excrucient.

IN SERENISSIMI
FERDINANDI
Lacrimas.

LVdit in auguſtis pia lacrima vultibus errans,
Non exire potens, non remanere potens;
It redit; Auguſti circumdat luminis orbes,
Ter lapſura meat, terq́ reducta redit,
O niſi maieſtas retineret Principis; iret,
Ablueretq́ cadens imbris ad inſtar humum.


ALIVD.

SPectat in extinctos extinctæ Coniugis orbes
Coniunx, & ſubitis imbribus ora madent:
O, ait, ô vultus! iuuit vidiſſe rigatos,
Vos lacrimis olim, nunc meminiſſe iuuat,
Conſcia vos teſtor ſeræ vaga ſidera noctis,
Tam ſanctas vigilis quæ ſtupuiſtis aquas:
Inde ruunt fletus, quoties ea tempora verſo,
Inde cadens guttam gutta ſecunda ferit.
A lacrimis ſi ſicca voles mea lumina Coniunx,
Da, videam lacrimis ora madere tuis.

LACRIMAE, SERENISSIMORVM LIBERORVM.

Y

XXXVIII.



Luce

XXXVIII.


Luce perpetuâ.

Nil tauris opus est; nihil indiga funera carnis
Ista parentali sat pia cera rogo est.
Perpetuas seruate faces bona lumina, Matrem
Hoc decet, æternas quæ dedit ante faces.
Si liquor arentes ierit consumptus in auras;
Nostra perennabunt flammea corda faces.

LEMMA.

MARIÆ ANNÆ Archiducum Genitrici, & virtutum Parenti, non Polycleteâ manu aut Phidiacâ sectione, sed ingenij conatu, Liberi MARIANNÆVM erexêre. Monimentum verè ARCHIDVCALE: hoc, vt sit sempiternum, singuli ex animo, ex medullis cupiunt, vouent, precantur.

XXXIX.



Amo-

XXXIX.


Amore & honore.

Quicquid in Augustæ designo funera Matris,
Est minus Augustâ Matre, dolore minus.
Nil aurum, nil thuris opes, nil signa parentant
Gemmea; maiores hæc petit vrna faces.
O Mater, Nato vitam quæ prima dedisti,
Cor cape: tam gratum nil tibi forsan erit.

LEMMA.

SERENISSIMVS ARCHIDVX IOANNES CAROLVS primogenita ARCHIDVCVM proles Cor, quod viuæ Parenti debuerat, etiam mortuæ Matris amoribus consecrauit: O tumulum! O Exequias! O Amorem! Non potuit magis amare Natus, nec amari Mater.

XL.



Hoc

XL.


Hoc meruit.

Florigeris quicquid decerpitur vndiq; pratis,
Serta det in Matris busta suprema meæ.
Florida vixisti; quidni quoq; mortua Princeps
Vltima de Gnato munera, serta velis?
Si rosa deficiet, sertum, vel lilia; Nati
Carpito de manibus lilia, fronte rosas.

LEMMA.

Arborem FERDINANDVS ERNESTVS sertis redimitam, Cenotaphium memoriæ sempiternæ & amoris in Matrem, ex patrimonio ARCHIDVCALI, floridum erexit monimentum. Nihil habuit corollis aptius, quod iuuenem deceret; nil arbore coronatâ celsius, quæ supra elementa Matrem tolleret, quam Virtus extulit supra Empyreas regiones.

XLI.



Opta-

XLI.

Optatus tumulis decor.

Ocyus, ô Genitrix, subijsti siueris arces;
Sunt vitæ citius stamina rupta tuæ,
Paruula quàm possem tua Nata subire Sabæos
Optima funeribus thura datura tuis.
Nata quid ergo meis depromam in funere gazis?
Lilia sola mihi; lilia sola cape.

L E M M A.

Lilia suum, è quo enata agnoscunt & ornant agrum. Gaude Ager tuo flore & honore, venustate tua Hesperidum proculcabis hortos. Hoc aio; Campus hic MARIÆ ANNÆ vita, funesto mortis ferro proscissus quidem est; sed suo tamen germine spoliatus non est. Viuit in radice ramus, lilia in agro, & viuet in Filia MARIA ANNA Mater MARIA ANNA. Ita speramus; ita optamus.

XLII.



La-

XLII.

Lacrimis & pretio.

Paruula lacrimulis cole fata RENATA Parentis:
Non aliud Matris sors dedit atra decus.
Si tamen Augustæ non sufficit ista Parenti
Pompa, nec his folijs vult sua busta tegi,
Titan luce, RENATÆ animo, succendito fletus;
E quauis lacrima singula gemma cadet.

LEMMA.

CECILIA RENATA lacrimis parentat suæ Parenti. Nil aliud præter vberes fletus ad exequias afferre potuit iste sexus, ætas, amor, dolor. Plus exornauit maternum funus ARCHIDVCALIS lacrima, quam Heliadum electrum occasum Phaethontis.

XLIII.



Lu-

XLIII.

Luctus sine luctu.

Lusitat innocuus tractatq; Leunculus ignes,
Nec indolescit funeri ignarus necis.
Scilicet ille Leo nondum est, venientibus annis,
Heu quam ille, doctus funera, oderit faces.
Sic materna ferunt SINE LVCTV *funera nati,*
Dolore quæ illi maximo quondam gement.

LEMMA.

Ludibundus inter ferales faces Leunculus, Serenissimi LEOPOLDVLI notat infantiam. Hic ignarus funeris materni, calamitatem patitur; sed non indolescit: Sine luctu luget. Serus cum annis venit dolor. Felix ergo vel hoc nomine infantia, quod rationem anteuertat calamitas, ne in calamitate se calamitosam persentiscat.

GEMITVS SERENISSIMORVM FILIORVM.

QVæ tibi, Parca ferox, Gnati tormẽta precemur,
Inuida quod nobis pectora chara necas.
Vbera chara necas cum pectore Matris, & illas
Sub ſolo clauſas nomine Matris opes.
Tigride crudelis magis es, truculentior vrſis
Quæq́ue ſuos catulos torua leæna cibat.
Quæ fera non Mater dat paruis vbera gnatis,
Prolibus immulgens vbera plena ſuis?
Tu Matrem neſcis, Superi date, ne ſciat vnquam;
Optet, & optatum, verba DEVSq́ue negent!
O quam mitis erat teneros quæ pauit ad vndas
Iliadas! nobis vrbs ſacra teſtis erit.
Horrida de ſiluis victu lupa venit hianti,
Audiuitq́ue tuos, parue Quirine, ſonos.
Aduolat, vt pueros videt, eſt oblita furoris,
Et blandita, cibum lacte fluente dedit.
Morta lupis rabioſa magis, rapis vbera paruis
Gnatis, nec trepidas hæc meminiſſe Iouem?
Heu meminit, pœnasq; dabis: nõ clamat in aurem
Gnatus, at in cœli ſidera clamor abit.

Suſpi-

SVSPIRIA SERENISSIMARVM FILIARVM.

VNde meos questus, Gnata afflictissima sumam?
Quod mihi principium? quis mihi finis erit?
Occubuit dulcis Mater, Gnatamq; reliquit,
Et præter lacrimas nil mihi fracta dedit.
O sortem miseram! quò tantis obruta damnis?
Quò nisi ad hæc tumuli marmora, mœsta ferar?
Marmora mœsta petam, lacrimis sacra saxa lauabo,
Ibit & ex oculis plurima gutta meis.
Biblidos heu mihi, quod non sint bona fata? profundos
In fontes pridem tota soluta forem.
At quando Gnatam fortuna immanior vrget,
Flebo tamen, lacrimas saxa ciebo super.
Et gelido figam labris his oscula saxo:
Sentiet hæc Mater, sentiet ista Parens.
Et voces addam lacrimis, supremaq; verba,
Vel saltem in cineres officiosa dabo:
Dulces exuuiæ Matris, quas trux Libitina
Confudit; castè quas leuis vrna tegit.
Este mihi dulces, lacrimæ sunt semper amaræ:
Dulcore è vestro lacrima dulcis erit.

Ma-

Mœſta facies

AVGVSTAE DOMVS.

Defunctam ARCHIDVCEM viſentis.

FERDINANDVS.

CVr hæres ocule, & mœſta ſub fronte quieſcis?
Tolle ſupercilium, læta videre iuuet.
Quid mihi læta canis? cecidit dum perdita letho,
Vnica lætitiæ cauſaque, ſpeſque meæ.
Quo me cunque fero, triſtis me lancea figit,
Saucius aſpectu vulneror ipſe meo:
Si mœſtos forſan radios in pignora vertam,
En vulnus paruæ prolis adauget amor.
Talia ſic igitur duces ocule otia ſemper!
Si tibi fata negant cernere, flere potes.

MA-

MARIA ANNA.

Defuncta.

SI mors sola foret, non eius tela timerem,
Dulce mihi caderet mortis inire viam;
Plura suis feriunt ægram me damna procellis,
Et sua pro letho tela ministrat amor;
Te, Princeps FERNANDE, *& vos, mea pignora, Natos,*
Vos ita præproperè deseruisse, dolet:
Excruciat morbus, proles orbanda, Maritus;
Sic Princeps causis occidit vna tribus.

IOANNES CAROLVS.

Pro lacrimis prohibitis; vndas sacras adspergens.

LAcrima cur hæres? charis affundere membris,
Labere, non alio dignior imbre Parens,
Si posset, vellet vernos rosa iungere rores,
Caltha suis succis vellet adesse comes.
Irent auriferæ Pactoli fluminis vndæ,
Adflueret rutilis Hermus & Ister aquis:
Labere. sed notos iterum subit ecce penates,
Rursus & in proprios est reuoluta sinus.

O niſi conſtarent chari mandata Parentis,
Lacrima, cur, quererer, tam pretioſa lates?

ALIVD.

ITe pij rores vrgent pia funera Matris,
Pergite largiflui; ne tamen ite foras:
Occlusêre fores chari mandata Parentis,
Nunc aliâ prorſus vos decet ire viâ;
Ite ergo. & cordis vos æſtibus abdite amantis,
Fors erit hâc lymphâ mitior ille calor;
Si tamen ille calor quoque vos conuertet in ignes,
Totus amor, totus CAROLVS ignis erit.

ALIVD.

NE ſtupeas Genitrix, non audeo iuſſa Parentis
Rumpere, non fundent lumina lacrimulas,
Integer obijcibus poſitis ſub vultibus hæret
Torrens, quod cuperet, non feret officium.
Officium lacrimæ ſubeat ſacra lympha, rigare
Non audet Matrem lacrima, lympha riget.

ALIVD.

PVgnat amor Matris, Patris in contraria pugnat,
Alternata tibi, CAROLE, bella cadunt:
Ille ciet lacrimas, lacrimas iubet iſte teneri;
Hinc titubat fletus quâ queat ire viâ.

CA-

Carole nūç quid agas? si fles, Pater vrget amorē;
Ni fles, Matris amor postulat officium:
Pro lacrimis sacras vndas cape Mater; amorem
Quæ manibus charis oscula figo, probant.

FERDINANDVS ERNESTVS.

Dicebâre mihi nuper tota Aurea Mater,
Nominis heu! tanti quid meminisse iuuat?
Mors Aurum rapuit prædatrix sæua, fuisti
Aurea quæ vitæ, pallida morte cubas: (tis,
Quid queror? en sacris Genitrix mea tingere gut-
Vltima Fernandi hæc sint monimenta tui.
O! si parturiat pro guttis spongia gemmas,
Aurea quæ fueras, gemmea tota fores.

MARIA ANNA, SERENISSIMAM MATREM
lustrali aqua adpergens.

Labere, non segnis benedicti guttula fontis,
Atq; piæ Matris te ingere visceribus;
Est aliquid iuuisse pias in funere Matris
Proles, inde tibi gloria rara venit:
Quod si sacra prius fueras ô stillula, posthâc
Hoc eris ex ipso sanctior officio.

Eadem

Ad SERENISS: PARENTEM.

BLande Parens, orbaq; tua spes vnica Nata,
Ne Genitrice, Parens, cum moriente, cade:
Te moriente, Parens, quis me solabitur ægram?
Quis iunget teneras ad pia vota manus?
Ergo mei curam gere tu Pater inclyte; Matris
Amplius esse mihi non licet, at tua sim.

SERENISSIMA

CAECILIA RENATA.

HEu! fuge Nata; Patris procul è conspectibus esto,
Non suadet prudens hoc amor officium;
Mors furit, atq; vagos per limina fulminat ictus;
Quem feriat, quærit forsitan illa Patrem;
Feruida tela volant cæco iactata furore;
Ni caueas, proprij funeris author eris.
Tela hæc non terrent, Manes: nam dulce futurum est,
Pro Genitore mihi, cum Genitrice mori.

Eadem

Ad SERENISS: PARENTEM.

OCcidit heu! MARIA ANNA tibi, pars altera cordis,
Occidit ô Genitor, nec tibi vita cadit?

Mo

Me cape, me Genitor, me cordis in intima conde,
Fors ego vita tibi, pars tibi cordis ero:
Quicquid erit. tecum Genitor, tua Nata, manebo:
Si viuis, viuo; si moreris, morior.

SERENISSIMVS
LEOPOLDVS GVILELMVS.

PErge sacrũ flumen, gracilis rue guttula, Matrẽ
Humecta, & nostris iungere lacrimulis,
Hæ quamuis calidæ, tuque algida, mixta parẽtem
Reddere vix nobis hæc medicina valet:
Perge tamen labi, Matris benè tingito funus,
Si benedicta prius, plus benedicta cadis.

OMNES.

NEscio, disparibus Matrem te tingimus vndis,
Hæ frigent lymphæ, lacrima nostra calet.
Si calor expungens diuexat, suggero lympham:
Sin frigus, sedet lacrima nostra gelu:
Hoc tamen est sensisse nefas, seu frigeat ergo,
Seu caleat, lympha hæc à pietate venit.

IN ASPERGILLVM.


IMbibe quos reddas, ſacros, ô ſpongia, rores,
Te grauidam lymphis nunc decet eſſe pijs;
Quod ſi tota breui totas exhauſeris vndas,
Si lubet, en noſtris vtere lacrimulis.

AD MORTEM.

NE mors cruda feri; in prolem ne falce feroci,
Laus ſat magna tibi funera Matris erunt,
Parua puellorum de funere gloria ſurget,
Vir cadit inflicta cæde, timore puer:
Si tamen haud potis es nimios frænare furores,
In nos terribilis non potes eſſe diu.

LACRIMAE,
PROVINCIA-
RVM.

XLIV.



Cau-

XLIV.

Causa coloris abest.

Dum claudit mœstâ MARIA ANNA *in marmore fron-*
Omnia sub tetro regna colore iacent: (tem,
Siccine, quæ viuâ variabant Principe, mortem
Paci expectarunt Principis illa suæ?
Erramus, color à viua qui Principe venit
Omnibus, heù cæsâ Principe, ademptus abit.

LEMMA.

Non cadunt proceræ arbores ruinâ leui; altè longeque audiuntur; montibus vallibusque resonant. Ita MARIA ANNA, non vno plorata est Regno, Prouincias morte atrauit omnes, sicut vitâ colorauit, recreauit omnes. Ideoque quasi oblitæ coloris patrij, in atrum omnes abiêre; in hoc vno ponentes felicitatem, quod flere possint; quam diutius habere non sinuntur.

XLV.



La-

XLV.

Lacrimandum non plorandum.

Defunctam ARCHIDVCEM *cum Boïs Fama tulisset;*
Quantum ô doloris Fama funebris tulit?
Pectore non poterant clausum retinere dolorem,
Nam mox solutus fluxit in lacrimas dolor.
Sed lacrimas iterum lambunt siccantq; Leones.
Moderatus esse Principum debet dolor.

LEMMA.

Stemma Bauaricum deciduis roratim lacrimis Bauaricæ Domus testatur dolorem. Merito illacrimat tam piæ Principi, Filiæ, Sorori. Ita monet Seneca; *Nec sint sicci oculi amisso amico, nec fluant. Lacrimandum est non plorandum.* Ideo scitè Leones lacrimas tergunt & dolorem. Nulla res citius venit in odium quam dolor.

AVSTRIA.

ITe graues Elegi fletus, vocat Auſtria, poſcit
Danubiusque ſuis illacrimare malis.
Auſtria, purpureos agedum depone colores;
Auſtria da lacrimas; Auſtria mœſta geme.
Auſtriacæ ſpes magna domus, ſpes ſumma, repetè
Concidit, & magno pondere preſsit humum.
Illa, illa ARCHIDVCVM Mater MARIANNA, perempta eſt;
Illa, illa incubuit terra cruenta tibi:
Auſtria pone tuos, torua Auſtria, pone colores,
Purpureas maluas candidulasque roſas.
Si tamen, heu! lacrimis vis indulgere profuſis,
Et cuſtos tumulis mœſta ſedere Ducis;
Candida purpureo fac marmora tinge decore,
Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.
Candida qua fulgent Pariâ de rupe reſecta
Marmora, ſunt niueæ candida ſigna Ducis.
Sed quâ parte rubent, ſunt argumenta doloris;
Vt rubeant, ANNÆ hæc purpurat illa cruor.

STY-

STYRIA.

TV quoq; florigeros mœrēs tege, Styria, vultus:
Irrora lacrimis ora genasque tuis.
Flos tuus heu! aret; cur florida tempora gestas?
Ver abijt. roseas & iacis ore rosas?
Abijce mœsta rosas, & vernas sperne corollas,
Deformaque tuas vngue secante genas.
Abijce Narcissos, Hiacynthina germina temne:
Nil tibi cum violis sit, rubeoque croco.
Ferales fronti pullæ subtexe cupressos:
Et funesta comas taxus in ora fluat.
Si tamen ah Dominæ! quid luctus improbe faris?
ARCHIDVCEM voluit lingua vocare suam.
Si tamē ARCHIDVCIS memor es pia Styria, flores
O plenis calathis præcipe Nympha legat.
Et tumulos decora, circum rosa plurima passim
Fulgeat; in medijs lilia pone rosis.
Hæc tibi sint Magnæ Matris monumenta MARIÆ,
Hæc cura in lacrimas vnica facta tuas.
Quod si flos aret, lacrimas effundito: surgent
Nil dubita è lacrimis lilia cana tuis.

CARINTHIA.

VNdiq́ue præruptis incincta Carinthia ſaxis,
Dura licet, lacrimas da tamen vſque tuas.
Frange tuas rupes, & funde è rupibus vndas,
Exigit hoc pietas Relligioſa Ducis.
Ecce tuis plangunt ceu montibus omnia, lugent
Alpes, demiſſo vertice ſilua gemit.
Ipſæ etiam volucres læto quæ carmine frondes
Mulcebant, magni ſigna doloris habent.
Deſerti pendent nidi ſine prole, relicto
Compare turbatas turtur adiuit aquas.
Oſtentat quanto pectus clamore cruentum
Progne, quàm querulos dat Philomela modos.
Quæq́ue ſuas lacrimas mutat proditq́ue querelis:
Extincta eſt Coniunx heu mihi turtur ait.
At Progne clamat funeſta: Carinthia functa
Principe confoſſum vulnere pectus habet.
Daulias ales Ithys meminit non amplius: atq́ue
Heu MARIANNA meus tu mihi luctus eris.
Quid plangant aliæ noli diſquirere: luctus
Et dolor, & fletus obruta cuncta tenent.

CAR-

CARNIOLA.

FVnde etiam planctus Adriæ vicinã tumenti
Carniola & gemitus pectore & ore trahe.
Terra geme, plorate rosæ, lugete virentes
Campi, det fletus fæta per arua seges.
Vester Sol abijt, vastum descendit in æquor:
Obruit heu pulchrum fluctibus vnda decus.
Cum niueis quondam loris surgebat Eoo,
Purpureisque ibat celsa per astra rotis,
Fulgidus & totum radijs pingebat Olympum,
Spargebatque suas in sola vestra faces,
Omnia florebant; omnis dabat omnia tellus,
Gaudia ridebant omnia prata satis.
An non Bacche tuis rubuerunt collibus vuæ?
Spumaruntque tuo, dulcia musta lacu?
Heu mihi Sol abijt! perijt DVX ANNA MARIA!
Impleuit tenebris & loca cuncta suis.
Fallor an horrendis circum caput horrida nimbis
Insonat & furuas nox agit axe rotas!
O noctem! ô mortem! Mors nox est! fundite plã-
Carniolæ montes Carniolæque sola. (ctus

RHE-

RHENVS.

RHene negas lacrimas? & ſtringis flumina ripis?
Et premitur, grauiter qui ferit oſſa, dolor.
Vidi ego muſcoſo recubantem fluminis antro:
Vidi ego: me, quæſo, teſte negare potes?
Vidi ego te toto mœſtum langueſcere collo,
Et flere effuſis, Rhene, potenter aquis.
Et cupere optatis animam deponere verbis:
Et quæ plura meus, Rhene, videbat amor.
Sed fruſtra celas, fruſtra cita flumina voluis,
Curris in occaſus Heſperiumque fretum.
Ille Palatinæ terræ, dolor improbus ille,
Ille tuas lacrimas prodit & orbe ferit.
Ah licet Heſperium fugias trux amnis in æquor,
Inde tuos luctus Auſtria terra ſciet.
Quid ſciet? heu nimium properè terra Auſtria ſci-
Nouit & Heſperias indoluiſſe plagas. (uit:
Quid tamen infelix egiſti? dum tua celas
Funera, dum lacrimas occuluiſſe putas?
Quam bene deproperas & velox nuncius adfers
Funus in Heſperiam, Rhene ſuperbe, Ducis.

LACRIMAE, COMITA-
TVVM
ET
CIVITATVM
MARITIMA-
RVM.

b 4

COMITATVS TYRO-
LENSIS.

SOlanè festiuas meditabere læta choreas,
Et nullas fundes, sæua Tyrolis, aquas?
Sola dabis lætos, inter mœstissima, risus,
Funera? nec tanget tam fera corda dolor?
Lugeat augusto cum natus stemmate Princeps,
Et salsis madeat MAXMILIANVS aquis.
Ille tuus, (perfunde genas atque ora madore,)
Ille tuus luget MAXMILIANVS honor.
Tu fera syluestres imitabere sola leones,
Et sine rore suo rubra volucris erit?
Cerno graues oculos lacrimis, lacrimisq; natantes
Cerno genas, fatum dum gemit illa Ducis.
Et tales mæstâ profundit voce querelas,
Et tales tristi promit ab ore modos.
Heu! jacet exiguo mihi gloria rapta sepulchro,
Pars magna Austriacæ DVX MARIA ANNA dom⁹.
Fũdite cęruleis Nymphę Benacides antris,
Quasque suis Athesis claudit, alitque vadis.
Fundite, discordi quamuis pede, tristia metra,
Concors, si fuerit flebile, carmen erit.

CO-

COMITATVS GO-
RITENSIS.

ILla ego Forlulî laus prima Goritia terræ,
Quæ fueram ſemper mille beata bonis,
En lacrimis miſeranda fluo ſine germine tellus,
Tellus ſubreptâ Principe mœſta nimis.
Mars me crudelis funeſta in prælia cogit:
Mors me delicijs priuat acerba meis.
Heu! lacrimæ manate genis, manate per ora
Flumina, luctificis flumina mixta ſonis:
Quicquid delicij tellus generoſa ferebat,
Et gratum quicquid læta gerebat humus,
Proſtratū jacet, heu! jacet vndiq; campus & horti,
Gratia cum toto germine fracta jacet.
Heu lacrimæ! an lacrimis finē dabis improbe Ma-
Et necibus ponet Martius ipſe modum? (uors?
Ploratum, heu! nihil eſt: ſemper noua funera fle-
Ah ſatis, ah tantis lacrima nulla malis! (mus:
Heu dolor, heu dirum vulnus nimis: edere lingua
Tam dirum neſcit vulnus, habere nequit.
I tamen, i, lucem luctus pete, dicito terris,
Quot te ſæua feris obruat vnda malis.

Cum furit hostili Mars agmine, funere, letho,
Innumeris petitur quando Gradisca globis,
Quando constanti flammantia tela dolosq;,
Robore & inuictâ reprimit arma manu,
Paruus ab ingenti (numero ne prælia cense;
Sæpius in paruis corda reperta viris)
Paruus ab ingenti cum Exercitus vndiq; cinctus
Milite vix hostes sustinet, arcet agro,
Heu! MARIA ANNA decus cæli, MARIA ANNA Gradiscæ
Virtus, heu! cecidit Morte furente nimis!
O lacrimæ manate genis, manate per ora
Flumina, luctificis mixta fluenta sonis.
Goritiæ auxilium, tua gloria & arma, Gradisca,
Præsidiũ interijt DVX MARIA ANNA tuum.
Illa tuum pretium, requies fuit illa, ruentes
Extinxit flammas illa globosq; truces.
Illa; polo vires, terris dabat omnia Coniux,
FERNANDI terræ Duxque quiesque suæ.
Illa animos bellis, victoribus illa coronas,
Omnibus eximias illa parabat opes.
Illa, illa, heu flendo confossa est vulnere mortis,
Goritiæ illa suæ vulnera tanta tulit.

Plora-

Plorate ô campi, vos pallida prata madete
Imbribus, exhaustis robora ferte genis:
Fundite Garstenses, Triados mons funde liquores,
Et lacrimis lacrimas junge Medea tuas.
Vos syluæ & colles, & inanes plangite luci:
Deflenda est totis DVX MARIA ANNA vadis
Tot sit busta Ducis lacrimas regalia nolint
Respuat & tanto flumine tumba tegi,
Vos plorate tamen, lacrimis Lisontius vndans,
Saltem contra hostes auctior ibit aquis.
Et quoq; sanguineus membris qui defluit humor,
Pro patria, pro aris, pro duce, proque DEO,
Forsitan ARCHIDVCIS lethum illætabile, dignâ
Consperget lachrymâ, sidera honore pio.
Vel si concedant Superi, cadet hostia Achillis
E Troia ad tumulos DVX MARIA ANNA tuos.
Interea lacrimis lacrimas juuat addere, donec
Mitior ex astris Principis vnda pluat.

COMITATVS
PITZHINENSIS.

ADriaco fluuius tu quid vicine Timauo
Formio? cæruleis Formio diues aquis?

Non dabis in lacrimas vultus, lugentiaq; ora?
Non fluet in luctus vitrea lympha nouos?
Siste tuos cursus, turgentia flumina siste,
Ponti vicinas excipe mœstus aquas.
Naturam contra salsi maris vnda reuersa,
Inque tuos fontes, antraque mœsta fluat.
Quæq; per æquoreos solita est errarare recessus,
Nunc fluat ex geminis vnda salumque genis.
Quæ prius Adriacum miscebat bella per æquor,
Nunc sensim leni defluat vnda oculo.
ARCHIDVCIS dum fata gemis, dum fata Serenæ
Principis, Austriacæ fata suprema Ducis.
Post vbi vicinas mœrens exhauseris vndas,
Materiâ lacrimis deficiente tuis,
Incipe tunc primum proprios stillare liquores,
Non fuerit lacrimâ, salsior vnda, tuâ.

COMITATVS CILLIENSIS.

AVdijt vt mœstos vberrima Cillia luctus,
Et Styriæ multo rore madere genas.
Flammiuomumq; aliàs tristes Panthera liquores
Pro flammis, tristes & dare ab ore modos.
Cæru-

Cæruleam sociæ volucrem lugentibus alis
Carniolæ, volucrum pennigerámq; ducem,
Pro læto nigrum pennis sumpsisse colorem,
Heu! quæ me, dixit, tempora mœsta manent?
Ergóne supremos obijt MARIA ANNA labores?
Ergo obijt letho DVX MARIA ANNA suo?
Ducite luctificas oculo rorante querelas,
Ducite flebilibus tristia metra modis,
Cilliacis Nymphæ quæcunq; latetis in antris,
Et vos in campis Numina diua meis.
Et vos, de cœlo flammæ lucere sereno;
Et solitæ nostris irradiare plagis:
Pleiades este mihi nimbosæ, obducite sedes
Cæruleas tenebris, imbriferâque togâ.
Testis erit nostri lux ô funesta doloris,
Quisquis erit cœlo qui cadet, imber erit.

CIVITATES MARITIMÆ.

QVis Princerna nouus lacrimarum detonat imbres
Auster? & insanis prælia miscet aquis?
Suspicor? Austriacum gemebundo marmore funus
Ad sacra Tergesti littora turbo fremit?
Fama volat, Furiasque ciet Boreamque Libynque.
Occidit armisono Pacis Oliua freto.
Plangit luctificis decumana procella flagellis,
Et reboant portu saxea busta suo.

Caru-

Cæruleis glaucæ plorant Nereides antris,
Tipis cupressum cùm Thetis aucta rotat.
Haud MARIA ANNA mari dominatur dulcis amaro,
Nectar erat: mundi, versus amaror, amor.
Nam Galatea pios Superûm quùm deperit ignes,
Humentes liquit, Regia Nympha, toros.
Hactenus Adriaco volitabant carbasa ponto,
Et citrò tutum puppis arabat iter.
Mox vbi Nex atrâ tinxit ferrugine Lucem,
Ac Cynosura suum nupsit adempta jubar,
Fœdifragis rescissa Fides jactatur ab armis,
Mars quatit infestas exanimatque rates.
Vilius vndanti melior spes fluctuat alga,
Scilicet è gremio est, Anchora vulsa, meo.
Fulget an Jonia peregrinum merce lucellum?
Præda vel vrbanâ fauce sinuque patet.
Quid querar infidis aurum dispescier vndis?
Charior auriuomo, perdita gemma salo.
Voce fatiganti superos obmurmurat æther.
Et grauis aspergit fluctibus ora timor.
Ergo dehiscenti subsidunt æquora valle;
Forsitan è Stygijs eruitura vadis.
Porro tumescentes jaciunt ad sidera montes,
Assertura suam forsitan axe Facem.
Nec mora, saxifrago tellurem gurgite pulsant,
Naufraga si qua meo est colle sepulta Salus.
TERRA AGGESTA leui quæ contegis aggere mersos,
Gloria pulueribus squalet operta tuis?
Amodo funestent lætas absinthia vites,
Eiulet & nostro tristis arena Noto.
Sic furit; & Myrrham Nerêus salsugine spumans
Hæc Libitina tibi perpes inundet, ait.
Ipse licet vitreo Vitus mihi diluat amne
Fella, juuat MARIÆ collacrimare Mare.

LACRIMAE, NOBILITATIS ET POPVLI.

NOBILITAS.

POne tuas bullas & dextris pectora plange,
Nobilitas, luctum temporis huius habe.
Nulla tibi luxus cantu demulceat ædes,
Martia nulla tuis ædibus æra sonent.
Langueat ad prædam siluę, veloxque Melampus,
Vastaque qui pugnax colla Molossus habet.
Tuta volet volucris nemorū frondentibus vmbris,
Nec timeat laqueis illaqueare pedes.
Flumina piscosis tumeant è fluctibus, vndis
Ludant, non vllus net super hamus aquas.
Omnia luctificis curis inamabile pectus
Exurunt, flendi est omnibus vnus amor.
Pullaque gemmatis pro bullis tegmina nigrant,
Pallet & ad luctus nobilitatis honor.
Nec Domini tantum flent funera magna MARIÆ,
Cum Domino domus & concaua saxa gemūt.
Flent celeres Cressæ, flent fortes terga iugales,
Quis neget hos luctus vrbibus esse graues?
Heu nimium grauis est, tectis sedet omnibus, atq;
Omnes funestat nocte dieque domos.

PO-

POPVLVS.

I Pullata dolor, populi quoque ſparge per ora
Flumina triſtitiæ, plangere coge ducem.
Non coges, dabit ille, dabit tibi ſponte querelas,
Saucius in luctus & volet ire comes.
Tantus amor MARIANNA tuus! ſi plãgere nolles,
Cogeret almus amor, cogeret ipſe dolor.
Ipſe dolor triſtes effunderet vndique fletus,
Per populum lacrimas ſpargeret ipſe dolor.
Iret diffuſis per tempora mœſta capillis,
Auderetque ſuas dilacerare genas.
Manaret vultus fluidâ, pectuſque teperet
E lacrimis, gemerent ſaucia corda malis.
Tum longos iterans planctus incenderet vrbem,
Mugiret totis atque vlularet agris.
Nil opus. heu quantus ferit altum clamor Olym-
Sic fleuit Graijs obruta Troia focis. (pum!
Sic gemmis Carthago ferox cum ſterneret vrbem
Scipiades, belli gloria, Martis honos.
Plange meus populus, pueri innuptæque puellæ,
Lugete; ARCHIDVCIS conditis oſſa ſolo.

PAVPERES ET NO-SOCOMIA.

QVò miseranda ruis? dubio quo morbida gressu
Procurris tenuis turba misella gregis?
Quæris & in templis, speciosis quæris in aulis,
Quæris in vrbe omni, quæris in æde Ducem.
Audisti curuâ Parcarum falce necatam?
Audisti saxo frigidiore tegi?
Ad tumulos prorepe celer, Matremque cieto:
Seu quocunque iubet nomine flere dolor.
An redit in mentem veteris pietatis imago?
Occurritque tuis vultibus illa manus?
Illa manus largè quæ munera fudit in omnes,
Illa manus miseris quæ fuit vna salus.
Vna salus miseris Achæa qualis in vrbe.
Clementis Dinæ nobilis ara fuit.
Hanc miseri fecêre sacram sine supplice, namque
Illa manus nulli vota repulsa dedit.
Parca superstitio. Lacrimis altaria sudant,
Et pro thure dolor nubila nigra vomit.
O chari tumuli Magnæ Matrisque ducisque,
Vos estis clemens pauperis ara gregis.

ANNVS MARIANNAEVS.

Hoc est.

MAGNAE HEROINAE MARIAE ANNAE. AVSTRIAE ARCHIDVCIS, &c.

FACTA VIRTVTESQVE PRÆCIPVÆ.

Quatuor Anni partium typo EXPRESSÆ.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. *Psalm.* LXIV.

VER.

Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Psalm: 91. v. 31.

Aspice quot vernant flores; quot germina surgunt
Pubentq; stirpes BOICO enata sinu.
Nomina tot florum populi venerantur; honorant:
Styriacus orbis non tot Hyacinthos capit.
Si plures stirpes letho tardante tulisset,
Quarendus alter FERDINANDO orbis foret.

LEMMA.

Fœcunditatem MARIÆ ANNÆ, amœnitate Veris floridum explicat Emblema. Stant in amplexu palmæ symbola fæcundi connubij: Subtus quinæ propagines irriguis nutritæ fontibus, sobolem ARCHIDVCIS referunt, imbutam castis moribus, litteris, omni pietate, virtute. Hanc Domui Austriacæ posteritatem; hanc orbi gloriam; hoc Religioni Catholicæ columen; hoc FERDINANDO Coniux mortua, vitæ reliquit solatium.

Triti-


VER
IHS
MRA

VER.

Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Pſalm: 91. v. 31.

Aſpice quot vernant flores; quot germina ſurgunt
Pubentq́ſ ſtirpes BOICO *enata ſinu.*
Nomina tot florum populi venerantur; honorant:
Styriacus orbis non tot Hyacinthos capit.
Si plures ſtirpes letho tardante tuliſſet,
Quærendus alter FERDINANDO *orbis foret.*

LEMMA.

Fœcunditatem MARIÆ ANNÆ, amœnitate Veris floridum explicat Emblema. Stant in amplexu palmæ ſymbola fæcundi connubij: Subtus quinæ propagines irriguis nutritæ fontibus, ſobolem ARCHIDVCIS referunt, imbutam caſtis moribus, litteris, omni pietate, virtute. Hanc Domui Auſtriacæ poſteritatem; hanc orbi gloriam; hoc Religioni Catholicæ columen; hoc FERDINANDO Coniux mortua, vitæ reliquit ſolatium.

Triti-


VER
IHS
MRA
IOAN. CARO. A. A. NATVS AN. 1605.
FERD.


AESTAS
IHS
Mitte falcem tuam et mete, Apo. 14.

Æ S T A S.

Triticum congregate in Horreum meum.
Matth: 13. v. 30.

Dum coquerent messes æstiui caumata Solis,
Meteretq; fruges S T Y R I Æ *Angelica manus;*
Panthera atq; Leo vectauit in Horrea messes,
Jugaliumq; subijt Angelicas vices.
Tam pretiosa fuit messis conuecta Leoni,
Ut non aueret sub alio jugo mori.

L E M M A.

Nubibus insidens, viri falcati & aureo redimiti anademate, visa in Apocalypsi imago, præsefert Emblema æstatis; Messem Euangelicam Angelica manus in agros effusa, & vox Angeli hortantis: Mitte falcem tuam & mete, c. 14. v. 15. Nihil defuit Emblemati, nisi vt Pantheram & Leonem, FERDINANDVM & MARIAM ANNAM Coniuges jugo Angelico adderet Poëta: Geographus Styriacis, Carniolicis, & Carinthiacis notis dispesceret terrarum Regiones.

Date

AVTVMNVS.


Date & dabitur vobis. Luc: 6. v. 38.

Quam numerosi vna labuntur ab Arbore fructus!
Quam copiosa depluunt in terram opes!
Hîc ægrotus opem vel opes; hîc nudus amictum;
Hîc Ara cultum, hîc commoda sua omnes legunt.
Omnibus hæc nata est Arbor. pluit omnibus imber.
Rarum est in omni Principem obsequio mori.

LEMMA.

Procera Arbor deciduis vndiq; fructibus opibusq; ARCHIDVCALEM ostentat munificentiam. Nunquam Arbores suis fructibus; nec munifici opibus suis fruuntur. Ille fuit Principis fructus, intueri Aras auro fulgurantes; Illa opum possessio, videre egenos non egere subsidio.

Homo


AVTVMNVS


HIEMS

Hyems.

Homo in cinerem reuertetur.
Iob: 34 v. 15.

Fructiferæ ſyluæ ſenuêre vbi germina, ſyluas
Actutum in ignes & fauillam HYEMS *agit.*
Viribus effœtis, MARIA ANNA, *tibi ingruit ætas*
Extrema: qualis te Cataſtrophe manet?
Ecce rogum! cinerem! Mors eſt cinis: ergo Camœnæ
Cineribus aptè Principis Mortem colunt.

Lemma.

Aquilonibus acris Hyems, ſymbolicâ luſione, Mortem exprimit MARIÆ ANNÆ. Annum illa; hæc vitam terminat: arbores illa foco deſtinat; hæc corpora ſepulchro: vtriusq; analyſis puluis eſt, cinis eſt. Sapit Antiquitas & Muſæ noſtræ, quoties Heroinis extruunt pyram cinerum parentem.

ANNI MARIANNAEI MENSES

IANVARIVS.

A Jano veteres me deduxère, sed astri
Janua jam nomen dat patefacta mihi.
Et pacem, dederat Jani quam janua, Princeps,
Fundet ad ingressum Janua aperta tuum.

FEBRVARIVS.

DVm tumulo, MARIANNA, tuo Februarius adstat:
Candorem mentis vidit & erubuit.
Me februabantur quondam: hinc mihi nomen, ab istâ
Jam februor, cur non hinc quoque nomen erit?

MARTIVS.

VItalis sub me qui cœpit luminis auras,
Certum, quod foret is Martius, omen erat.
Et Princeps sub me quia cœpit sideris auras;
Martia erit. Fugiant castra inimica DEAM.

APRI-

APRILIS.

ARCHIDVCALE sinu capiet latissima pignus,
Officio, Tellus semper aperta, meo.
Plus nequeo seruire: frui spectaréque tantùm
Funera, quæ vitâ sunt potiora, juuet.

MAIVS.

PÆstanas decerpo rosas & Thessala Tempe,
Mäius, & tumulo do MARIANNA tuo,
Agnosco Floram: quia dum flos desinis esse,
(Flos fueras,) Floram vult DEVS esse mihi.

IVNIVS.

TOndendæ sum Præses ouis, meq; Auspice, faustâ
Tonsa venit Domino forfice lana suo!
Mors fera, dum rabidâ te, Princeps, falce rescindit,
Ah possim tumulo Præses adesse tuo!

IVLIVS.

QVod teneris gramen vix arridebat ocellis:
Julius in fœnum verto subinde leue.
Te Princeps amo; quod facta es de gramine fœnum,
Quod sic fit fœnum sidere gramen erit.

AVGVSTVS.

AVgustus dedit Augusto mihi nomen & omen,
Augustæ tumulis inuigilare juuat.
Spectatis fiam tumulis augustior, & sic,
Quale mihi deinceps, nescio, nomen erit.

SEPTEMBER.

DOna laboratæ telluris in horrea porto,
Fructibus horticolas & locupleto meis.
Cœlo quod dandum fuerat, MARIANNA dedisti,
Dignior haud vllus sidere fructus erat.

OCTOBER.

VIna tenebrosis conduntur maßica cellis,
Et feruent preßis humida præla meris.
Sed Nectar superis MARIANNAM suaue propino:
Huic Superi, Superis & placet illa nimis.

AD LECTOREM.

NE Menses nostro plures pete, Lector, in anno:
Annus, vita Ducis, nam breuiatus erat.
Quod si maturos cœlo spectaueris annos;
Inuenies vno non caruisse die.

ORATIO
PANEGYRICA.
In
EXEQVIIS ARCHIDVCALI-
BVS, ACADEMICIS.

SERENISSIMAE
MARIAE ANNAE,
ARCHIDVCIS AVSTRIAE,
VTRIVSQVE BAVARIÆ
DVCIS, &c.

VIII. MARTII, ANNO M. DC. XVI.
denatæ Terris, renatæ Cœlis.

Authore,

R. P. JOANNE DECKERIO,
E SOCIETATE IESV SS. THEOLOGIÆ
Doctore, Uniuersitatisq́ꝫ Gratiensis
Cancellario.

DICTA IN AEDE S. AEGIDII,
QVO DIE COLLEGIVM VNI-
uersitasq; Soc: IESV eidem opt:
& meritiss: Principi
parentabat.



Oratio
PANEGYRICA.

I. HOC IN ADITV DICTIONIS meæ, ante paucis aperiam, qua ego de re dicturus, qua de vos audituri ſitis, Sereniſsimi ARCHIDVCES, Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Præſules, Inclyti Dynaſtæ; atq;, vt numero dicam, nobiliſsimorum virorum auguſtiſsima corona. Ea mihi nunc ſermonis erit auſpiciū, ac Thema, quæ noſter in præſenti eſt luctus, noſter dolor, quam funereæ iſtæ faces & triſtes Næniæ, leſsiq; ac Threni, cenotaphia, & cataſtæ, Pegmata iſta & Paraſtatæ, lemmata, ſtemmata, atque omnis hæc funebris pompæ perſonat ſcena. Cuius conclamata nuper mors, & deſtinatus hodie Tumulus, multas mœſtaſq; omnibus depluit lachrymas. Illa inquam noſter ſer-

mo erit, & noster planctus, cuius vel nomen sine luctu, Amoris vestri non sustinet recordatio; Serenissima MARIA ANNA ARCHIDVX AVSTRIÆ, Comes Palatina Rheni, & vtriusque Bauariæ Dux, atq; Augustissimi FERDINANDI ARCHIDVCIS nostri lectissima Coniunx, illustre orbis sidus, pretiosum Ecclesiæ monile, insignis nostræ ætatis Principũ gemma, Styriæ delicium, Præsidiumq; & dulce decus Austriacæ Domus. Huius itaq; velut in Cebetis Tabula, optimoq; in lumine contemplandam dabo Vitæ innocẽtiam, morumq; probitatem; quæ illam velut clarissima quædam famæ buccina, in omnes dissipatura est æternitates. Neque tamen hæc eo fine dixerim, vt sanctitatis eius in Terris struam Encomium, quæ Virtutum suarũ in Cælis immortale nunc iam adepta est Præmium, sed vt præsto nobis sit Probitatis speculum, nec vllo vnquã æuo Posteris desit imitandum Pietatis Exemplum. Vtque tantarum recordatione virtu-

virtutū, mixtas gaudio fundentes lachrymas, quantum dolemus quod illam amisimus, tantum gaudeamus quod illam habuimus; imo vt æstimare licet, Cælo præmisimus; sitq; pretiosa mors eius bonis in adiutorium, & malis in Testimonium: Vt inde peruersi sine excusatione pereant, vnde electi exempla capiunt vt viuant.

2. Sed quò veniam ante inueniam, quam offendam, quis in ipso mox limine velut excubans Cerberus aut Minotaur⁹, cursum dictionis obturbet, minimè conticebo. Magnitudo inprimis materiæ; Tum potissimè eorum qui huc tanquā in propria quisq; conuenēre mœstitia, quiq; me audiunt, sacrata ARCHIDVCVM Maiestas: Quam mihi consideranti, frigidus horror membra quatit, & si Poëticè fas est loqui Theologo, velut ad Gorgonis adspectum, *gelidus coit formidine sanguis.* Perstringit quippe oculorum aciem hic Augustissimorum ARCHIDVCVM fulgor, cùm semper aliàs summus, tùm hodierna

 luce

luce multò maximus, & tot Principum ac Præsulum acceſsione Senatus iſte, ipſis quoq; almis ſpiritibus reuerendus. Interim animum ſerenat meum tranquillatq;, illa ex omnium oculis micans ſerenitas, ac velut in Acidalio fons innatans Gratiarũ.

Omnibus incutiens blandũ ꝑ pectora amorẽ.

Stirps Heroinæ.

3. Et Demoſthenes fortaſſe neſcio quis, vel M. Tullius, Rhetorum ſecuti diſciplinam, paternam, maternamq; Heroinæ noſtræ ſtirpem, ab ipſis vſq; crepũdijs detexerent; Auis illam & Atauis editam Regibus, præconia voce decantarent. Cæſaream progeniem, flexuſq; ac ramos, & implexos per Europam ſtolones, arctiſſimaſq; affinitates Imperatorum, ceras, & ſtẽmata, & Imagines Aemilianas, Thragicæ & cothurnatæ eloquentiæ pennis, vltra Atlantis cœlũ, Titaniaq; aſtra, ipſumq; Iouis verticem ſuſtollerent. Mihi ſedet animo, ratumq; eſt, ac deliberatũ, omnia quæ fortunæ vocantur bona, ſilentio & amneſtiâ conuoluere, nihilque in ea niſi

quod

quod priuum eſt & proprium deprædicare. Nam hæc ſola ſunt quæ reapſe bona ſunt, quæq́; bonum beatumq́; ſuum efficiũt Poſſeſſorem, & quæ Biantis inſtar fortunatioris, omnia ſecum illa abſtulit, Cæliſq; intulit, ſola nec tempore fluida, nec ſenio obnoxia, ſed mori neſcia, atq́; expertia ſepulchri. Vera nobilitas ex DEI cultu, & Chriſtiana eſt expendenda pietate: Vnde & Chriſtianorum genus, & alti ſanguinis Chriſti decus, Virtutes ſunt, quibus Animarum gratia clarificatur. *Debentur morti cætera noſtra omnia.* Clariſsimæ itaq́; fœminarum MARIÆ ANNÆ genus, Virtutis proſapia eſt: Vnde & vbicunq; in Bauaria, Styria, Tyroli & Auſtria, quâ domi, quâ foris pedem fixit, nuſquam non ſui admirationem & deſiderium, præilluſtriaq́; virtutum ſuarũ impreſſa reliquit veſtigia. Vultiſne compendiariam Vitæ eius diſcere ſeriem Auditores? & quam diuina DEVS munera in lectiſsimam Heroinam noſtram, velut excuſſo ſinu, & pleno quod aiunt Co-

Vera Nobilitas.

Copiæ cornu corrogârit, cordis oculis contemplari?

Mortis Meditatio. 4. Quæ prima Philoſophiæ eſt, ſi Platoni creditur, definitio, eademque magna Chriſtianæ Sapientiæ portio, Iugis inquam mortis meditatio, ea nunquam non ſedit illi in medullis. Hac velut Antenna, ita vitæ circum à fine vſque Pueritiæ, in Timore Domini decucurrit ad metam, vt & ſupra homines ſeſe ſciret, & ſimul Hominem ſe non neſciret eſſe mortalem. Vnde & quotidie ſeſe lectulo acclinans, mortem parturiebat, atq; non aliter quam ſpica matura ad meſſem, falcem expectans Mortis, hodierni ſui meminerat ſepulchri: Præcipuè verò id penſi habuit, alteq; dimiſit in pectus, ex quo ante biennium è complexu Mortis erepta, feruorem feruore, Pietatem auxit Pietate, ac velut ſtadium tunc primum ingreſſa virtutis, breuem ſibi eſſe Vitæ curſum, ſed verę Gloriæ ac Pietatis fructũ meditabatur ſempiternum. Exin Pietas illi altiores in anima radices figere, Cor illa ſuũ ſacra-

ſacrarium Chriſto facere, manum ſuam mittere ad fortia, & iuxta Mulieris fortis, & laudatæ famæ Elogiũ, digitis ſuis mortis filum fuſumq; Apollineo velut vngue apprehendere. Conſcientiam porrò per noctes ſingulas, iuſto Trutinæ examine expendebat, dicta ſua & facta per omnia ingrediens, ortoque à Veſpere cuncta reuoluens. Et quæ venerabilis fœminæ erat accuratio, miniatulas erratorum in Palimpſeſto, ſeu deletitia membrana ſingillatim radio enotabat. Ita mediocribus eſſe in pietate quod alijs licet, Heroinæ noſtræ non licuit: In qua ſumma fuêre omnia: quæ ego ad compendium adigam, & more Pictorum latê patentes Virtutum illius campos, ita breui Areola coarctabo; vt & dicam paucis, & dicam multa, nec ego tamen multus, ſed res multæ ſint. Nihil Aqualiculo præter Tributum naturæ neceſſarium, tribuere eſt ſolita.

Conſcientiæ ſtudium.

5. Etenim in carne ambulans, non ſecundum carnem ambulabat, paulò poſt

Mortificationis.

Bb Ver-

Vermibus exarandam. Quæ quoniam animam consæpto suo obstruit & infæcat, sapienter illam Plato hominis carcerem indigitabat; eandemq; prudentissima fœminarum, crebra cum Apostolo diamastigosi, asperoq; ad tenella membra cilicio, flagellisq; in seruitutem redigebat. Tum vt illam ad omnem Spiritus sancti ductũ, facilem redderet, atq; ad sacram cælestis Agricolæ sementem recipiendam probè subactam, ceræq; instar sequacem: Tum vt corpus suum de eiusdem Apostoli consilio, gloriosum exhiberet Dei Templum, & augustum efficeret Spiritus sancti Tabernaculum. Seminabat proin iugiter in Terra cum lachrymis; vt cum gaudio meteret in Cælis; occursura aliquando Regi gloriæ, portans & ipsa manipulum suum, illumq; ante sedem DEI & Agni eleuans cum exultatione: Ante Manipulum dico Primitiarum, & Primitias resurgentium, Mundi Saluatorem, Primogenitum mortuorum.

Ascetria nostra.

6. Sa-

6. Sacroſanctæ Liturgiæ in qua Sacerdos & Victima offertur Chriſtus, delens chirographum mortis, adeo ſedula intererat; vt quot dieb⁹ terna & quaterna geniculabunda iteraret ſacra, nec rarò quina vel etiam ſena ſubauſcultaret. Animam ſacra Exomologeſi hebdomadatim expurgabat; & quod bonæ mentis indicium eſt, ſcrupuloſè anxia, ibi frequenter culpam ſubtimebat, vbi ne vola quidē vel vmbra culpæ deliteſcebat. Viuifico autem illo pane, qui de cœlo deſcendit, & dat ſalutē Mundo, quam poterat creberrimè, biſque interdum per hebdomadam Cor obfirmabat. Quo vno diſcite ab Exemplo, Sodales Parthenij, haurire aquas gratiæ in gaudio de fontibus Saluatoris: Longa ſit vobis mora omnis & hora, qua Diuina hac eſca priuamini. *Tanti Dux fœmina facti*; vt quā auiditate infantes lactanei papillas rapiunt Maternas; pari vos promptitudine ad pluuiatilem hanc de Cœlo eſcam, atque ad Chriſti vbera ſuſpiretis: Suſpēdentes pal-

Deuotionis.

Frequentia Sacramentorum.

mitem Cordis veſtri, ad lignum Vitis, ne per obſcænarum Torrentem voluptatum, tanquã in Cinamomis & vnguentis volutatum pretioſis, per inania ſerpat nugarũ, aut per volatica honorum ludibria, turpis rapiatur Præda volucribus Cœli. *Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* (quod Sacramento fit pœnitentiæ) *vt ſit poteſtas eorum in ligno Vitæ, quod qui manducat, non morietur in æternum: Et vt per portas intrent in Ciuitatem.*

Apocal: 22. v. 14.

Geminæ Portæ Apocalypticæ.

7. Hæc enim duo Sacramenta, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, geminæ ſunt illæ portæ Apocalypticæ, per quas Sereniſsima noſtra, gloria & honore ac diademate redimita Regni, ſupernam ſubintrauit Ierusalem. Ibi, Ibi *laudant illam ad Portas opera eius. Mulier enim timens Dominum ipſa laudabitur. Cum dederit Dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filij; Merces fructus Ventris. Non confundetur cum loquetur Inimicis ſuis in Porta.* Officium Virginis Matris, Litaniarumq; & Roſarij penſum tam illa

ſedu-

ſedulò perſoluebat, quam qui ex Vniuerſo Sodalium grege vnus eſt omnium diligentiſsimus. Et verò feſtiuitatibus ſolemnioribus, velut ſuperpondij loco Romanū adijciebat Breuiarium; aliasq; ſtatas preces, quas perinde ac ſi choris interpſalleret Angelicis, tinnula voce cantillabat. Cumque ternas illa perbellè calleret linguas, Germanicam, & Gallicam vernas ſibi, latinam tamen vernaculis præferens, hac ſepties in die, cum Pſalte & Eccleſiæ choro, laudes concinebat DEO, cuius hoc Templum eſt omne quod conſpicimus. Quin & ipſos ſæpe lucis Alites, pictasq; & garrulas Aues atq; Lucinias, verno tempore pulchrè modulantes, diuinæ laudis hymno anteuertens, *pſallebat ſpiritu, pſallebat & mente*; cupidaq; oberrandi cum Sole & Luna, & omni militia Cœli, cumque ipſis adeo Seraphicis mentibus, ſuper æthera ad ſolium vſq; gloriæ DEI, ſumptis præpetibus fidei alis ſubuolabat. Inde velut ex perenni fonte, vberrimus ille cœle-

Precationis aſsiduitas.

ſtium theſaurus chariſmatum in illam effuſus. Inde in illa velut in Hortulo concluſo & ſignato, tot floſculorum Areolæ. Inde in eius Anima velut in viua quadam, & animata Cythara, à Spiritu ſancto modulatis tactibus pulſata, Virtutum omniũ pluſquam Pythagorica harmonia.

Taciturnitatis cura.

8. Et quoniam *ſi quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*, cohibebat in loquendo Spiritum ſuum, & ne qua verba non ſatis excocta ad Prudentiæ Solem, dentalia ei' ſepta euolarent, rationis ea pondere ante librabat. Eamq; ob rem diuini Vatis hemiſtichium, *Poſui ori meo cuſtodiam*, penitus in viſcera traiecerat animæ, & ne quãdo fortaſſe memoriam præterflueret, Enchyridio, noto manus ſuæ charactere, immortale hoc virtutis ſuæ inſculpſerat monumentum. Et Angeronæ ſilentij Deæ prænexo obſignatoque ore fuiſſe ſimulachrum, vetuſtas prodidit. At Heroinæ noſtræ *ſicut vitta coccinea erant labia*, ſeris vallata timoris Dei, ac veluti pectorali faſcia,

Solinus Polihyſtor cap: 1. & Plinius lib:3. cap:5.

ſcia, verecundo ſilentio obligata. Nec commemoro, quam ab eius moribus alienum fuerit & ingenio, palatim curſitare per Potentiorum limina, ſalutare ac ſalutari, atq; incondito ſuſurro & fœmineo garritu otia terere. *Nemo eſt* (aiebat diſertisſimus Oratorum) *quin vbiuis, quam ibi vbi eſt, eſſe malit.* At in ARCHIDVCE noſtra, contra omnia. Nullibi quam ibi, vbi erat, eſſe malebat, ſorte ſuâ & DEI contenta ſemper voluntate.

Quietis.

9. Terebat illa Lararij ſui & ſacrarum ædium limina. Terebat Dauidicos Pſalmos, & Apoſtolicas deterens paginas, nocturnâ illas verſabat manu, verſabat & diurnâ; piosq; libellos accuratè conſiderateq; lectitans, modò à Moyſe & Dauide, ſubinde ab Iſaia & Prophetis, nunc ab Apoſtolis & Euangeliſtis, conſilia viuendi prenſabat; Calathumq; Pectoris hiſcè Calthis confertim & lilijs, ac plurima ardente implebat roſâ. Quapropter fixum mihi omnimodè & certum eſt, quod cum Veneris

Lectionis.

neris pulchritudinem olim Phidias Eliensibus Protreptici instar forma delineauit corporali, sub Veneris Tectorio veras ARCHIDVCISSÆ nostræ virtutes & decora expresserit. Muliebris siquidem decoris speculum, hieroglyphico obducens velo, Venerem calcantem testudinem fecit. Quo ænigmate non fallax gratia & vana Mulieris pulchritudo, fugaxue flos corporis, sed internus animæ splendor, pulcherrimumq́; Heroinæ inumbrabatur ornamentum: Larium videlicet ac Penatum, silentijq́; custodia & testudineus gradus.

Cælius lib: 10. cap: 3. Vera Mulieris Pulchritudo.

10. Hæc inauris aurea & margaritum fulgens, Mulier velox ad audiendum, & tarda ad loquendum, forasq́; progrediendum: *Cuius non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus, sed casta conuersatio in Timore DEI, & qui absconditus est cordis Homo, in corruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu DEI locuples.* In quo Christianæ Fœminæ

1. Petri 3. v. 3.

minæ clariſsimo encomio, non periclita-
bor dicere, Petrum Apoſtolorum Cory-
phæum, ad Heroinam noſtram obliquum
fixiſſe oculum: in qua nec faſtus nec fucus
ſedit vllus; ſed ſanctitatis ſpecies, imago
honeſtatis & forma virtutis ac viuēdi nor-
ma. Nam & hoc quoq; prudens fuit Pa-
negyriſtæ Plinij monitum; vt *vita Princi-
pis cenſura eſſet, eaq; perpetua cæterorum*. No-
rint itaq; Palatini, & quibus nobiles poti-
us fœminas mirari mos eſt, quam ſanctas;
illuſtres etiam poſſe Heroinas, Sanctam &
intaminatam in purpura & byſſo habere
animam. Abhorrebat à generoſa eius in-
dole, detrahere abſentibus, iuxta ac de-
trahentes gratanter audire. Procul ab eius
comitatu Pueri cincinnatuli, gypſię facies,
fucis ora oculoſq; depictæ. Pſymmithio
ſordidatæ nullæ: Nullæ Puellæ garrulæ
& laudum eius buccinatrices aut linguæ
inſtitrices & adulatrices; quas magna ſem-
per fortuna comites habet.

*Vita Princi-
pis cenſura
morum.*

11. Nam quod præclarè à magno eno-

Homilia 17. ad 10. caput ad Romanos.

tatum eſt Chryſoſtomo; Quemadmodum cachinnãtibus ſæpè pueris & luſitantibus, hic ſolens eſt mos, coronas inuicem imponere, quà fœneas, quà gramineas, dein ita ludicrè coronatos palam iomlariter reuereri, mox poſt tergum exertare ſeriò Ciconiæ linguam, & clam turpiter irridere: Ita hi aſſentatores, qui ſummatibus palpũ in corona & popyſmata cominus obducũt, haud rarenter illos clanculum Scommatibus ſubſannant, & acutiſsimis maledicentiæ ſpiculis, eminus fodicant ac lancinant.

Principum Aſſentatores quibus aſſimiles.

Archiduciſſa Comites & familiares.

Solæ proinde illius comites, aut caſtæ virgines erant, aut graues Viduæ, aggregatis ſibi vndiq; quam ſimillimis, quarum mens & conſcientia, quam veſtis aut forma pulchrior foret; quaſque morum nobilitas commendabat, nec vlla fecioris famæ macula attaminabat. Nec enim clam habebat, ipſas etiam Catellas, quod eſt in diuerbio, mores ſuarum referre Dominarum, aulæq; fulgorem obſoleſcere vitijs Aulicorum. Ita vero ſeria erat in ſerijs, vt etiam

in

in ludicris, non ludicra esset, sed seria, & quicquid ageret, id velut Alumna Sapientiæ, omnino scitè & ad Cinnum Prudentię actitaret.

12. Atq; vt non pauca talia paucis cōplectar; Quam innumeros illa famelicos suis epulis pauit? Quot morbidos & truncos inhonesto vulnere nares, delicatis suis & regijs manibus focillauit & fouit? Quot orphanos opificio? Quot orbas puellas honesto connubio illocauit? Quot inopes & nudos noua Dorcas facultatibus suis iuuit, vestibusque obuoluit? Quæ ita hæc larga omnibus exhibebat beneficentia, vt iuxta dominicam vocem, quid dextera faceret, eius sinistra nesciret. Atq; vt ad compendium redeam, in omnes impendiò benefica, manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ád pauperem. Habeant alij Diuitiarum Thesauros cum Dario in Ceruicali vel lecti suppedaneo repositos. Habeant cum Lollia Paulina vno in cultu, ne serio quidem ac solemni, decies centena

Benignitas in Pauperes.

millia Philippicûm. Habeant Crœſi gazas in Dactylothecis, ardentibusq́; piropis collum & faciem digitosque ornent, onerentq́; Conſcientiam. Habeant & fabuloſum Gygis annulum & Mydæ aurum quæ illis partim infamiam, partim interitũ accerſiuêre. Ego cum hac Muneraria Pauperum & mendicabulorum candidata, feſtinare mauelim ad Cœlum, atq́ue iſta in ventribus habere condita egenorum; *in ſacculis qui non veteraſcunt, vbi nec fures fodiunt nec furantur.*

13. Hac & vos pariter via decet mortales Principes, ad immortalem graſſari gloriam. Sed in his littus ego rado tantum Liberalitatis eius & Munificentię, nec vltra tendere nunc mihi inceſsit animus. Et gemmæ quidem ſplendor etiam in luto radiat, & Margariti fulgor lucet quoque in ſordibus; attamen mage magis in pala Annuli, atq́ue in digito ſplendicat Berenices.

Humilitas. Itidemq́; humilitas rara quidem illa ſemper & præclara virtus eſt, ſed magis irradiat

diat in ARCHIDVCE honorata. Hæc quasi vernacula illi fuit, quam omnis doli expers columbina comitabatur simplicitas, & velut altera pedissequa, singularis Prudentia assectabatur; quæ Virtutum decora, ita in illa paria extitere, vt nesciam in quo seipsa superarit. Hæc sanè Estherem nostram omnibus per quā amabilem efficiebant & maiestosam: Vnde & totius Vrbis ac Orbis testimonio, magnaq; Sanctimoniæ opinione omnibus probata, nulli vnquam sinistri rumoris fabulam dedit.

Prudentia.

14. Arduum id quidem haud diffiteor, vt in magna quis fortuna, peccandique licentia constitutus, iustam ac sobriam & cum Pietate transigat vitam. Vnde in Regibus Israël, nemo bonus; in Regibus verò Iuda, *præter David & Ezechiam & Iosiam, omnes peccatum commiserunt*. Quin & Socrates apud Platonem, *plures potentum*, inquit, *sunt improbi*; Ipseque Plato vnum in Gorgia nominat Aristidem, *iusti tenacem propositi virum* simulq; potentem Princi-

Rarum magna fortuna cum Pietate coagulum.
Ecclesiastici 49. vers. 5.

 pem.

pem. Sed verò Fortuna quam cum Pacuuio cœcam esse perhibet Antiquitas, in illa centum luminibus fuit oculata. Nihil do auribus, nihil gratiæ, sed omnia Veritati. Nam quî aliter possem, spei metusq; liber, & apud non inscientes vos virtutum eius αὐτόπτας & inspectores? Quæ cum in clarissima semper luce versata sit, vestrisque perpetuò oculis obuersata, nullũ eius obscurum esse potuit vel dictum vel factum. Subijcite nunc itaque cogitationi vestræ Auditores, Cleopatras & Semiramides, Iulias & Poppæas, Agrippinas & Messalinas; Heliogabalos & Sardanapalos, Alexandros & Antonios, Pompeios & Cæsares; aut si quæ his alia illustriora fuêre mundanæ quondam Superbiæ monstra: atq; pompaticam horum omnium vitam, & ambitiosum fastum, cum integerrima Vita & Christiana Heroinæ nostræ gloria comparate.

15. Vna istorum vox & istarum communis cantio fuit omnium. *Coronemus nos*

rosis

rosis antequam marcescant : nullum pratum sit exors luxuria nostra. Sed verò vmbræ transitus fuit tempus illorum, & adeò quidem virtutis nullum post se signum valuerunt ostendere, vt horreat natura, quæ illorum non horruit libido; vtq; pigeat pudeatque vel commemorare, quam atrocia cōmenti sint crudelitatis facinora, & quam nefanda libidinum exhauserint prostibula, ad explendas inexplebiles cupiditates copiosæ suæ Inopiæ, & ignominiosæ glorię. Quæ illos tamen omnia adeo non exaturarunt, vt inter mensas, messesque aureas, velut noui Tantali esurirent, atq; inter varia deliciarum, ludorumq; genera, inter fragrātia odoramentorum myrothecia, interq; supellectiles Luxu barbaras, tædio etiam affecti sint Vitæ & velut nausea compellente, omnia proiecerint. Vsqueadeo verò lassati sunt in via Iniquitatis, vt vndeunde captantes cuiusmodicunq; refrigeria, nouorum Inuentores oblectamentorum propositis ingentibus pręmijs allectarent.

rent. Sed verò hæc eadem ipſa in profundum illos Tartarum, atq; in flammas demersêre æuiternas. At At Heroinæ noſtrę Virtútes, vt illi æternum gloriæ pondus operatę ſunt in Cœlis; ita nobis illam quodammodo rediuiuam exhibent in terris & immortalem: Cuius funus deducentibus & collachrymantibus ARCHIDVCIBVS, & ſuccollantib⁹ Pontificibus, vos ipſi quoq; cum omni exequiali pompa, non honoris ſimulatione, ſed veris lachrymis eſtis proſecuti. Cuius Virtutem ſublatam ex oculis quæretis inuidi, & nomen cum gaudio & laude vſq; & vſq; perſonabitis, qui iſtorum cæteroqui memoriam, cum odio & indignatione perpetuò vſurpabitis. Vt qui omni flagitiorum cœno & ſcelerum merſi conſcientia, nihil admodum præter cubilia ſordium, præterque mephitim & fœdiſsimam reliquêre graueolentiam peccatorum. Sceptra vero illorum & Imperia, vel ipſius etiam Sardanapali ſtaterâ vix digiti crepitacillo ponderantur.

16. Et

16. Et tamen in hac Vanitatis ſcena; omnis vitæ illorum ita peracta eſt fabula; vt ſua quoque ipſi flagitia, ſibi tandem in ſupplicium verterent. Si quando itaque vaneſcentis Cupiditatis morb⁹, aut ſæculi ambitio cuiuſquam veſtrum titillauerit animum; vos qui ſapientes eſtis iſthæc etiam atq; etiam cogitate. Nam mortalium vulgus, ac craſſæ mentis homines, eos in paucis beatos cenſent, quibus potentia, regnum, gloria, opes, voluptates & dominatus abundè ſuppetunt, quos dignitatum & honorum omnium culmina antecedunt; quos curru ſublimes aureo ferri, Satellitumque vident multitudine conſtipari. Speciosum plebeis videtur animis, & vt maximè gratioſum; Vrbibus, Regionibus, Gentibusq; quam plurimis prȩeſſe: Duces, Tribunos, Decadarchos, Pentecontarchos, Chiliarchos, Exercitus, Populos, Senatus terra marique, & quò quis velit ſolo nutu circumducere, in auibus Cœli ludere & dominari beſtijs Terræ, ac

Falſa felicitas mundana.

 pur-

purpureo illo florere vellere, quod veneni fuco Mercurius fertur infecisse. Deniq; monstrari digito pulchrum est vulgo, & Iunoniæ adinstar auis, vniuersæ in se plebis oculos rapere occursantis. *Beatum dixerunt Pópulum cui hæc sunt.*

17. Verum enim verò quid ad hæc Cytharista Domini & diuinæ fidicen lyræ, simulq; Regio clarus insigni, & prophetiæ sublimis dono? Quin pulchro nobis pande Epiphonemate, *vbi sit lumen oculorum & pax, & in qua regione lux habitet*, vel ecquid hic veri sit & quid beati? *Beatus* (excipit ille) *populus, cuius est dominus DEVS eius. Beatus populus qui scit Iubilationem in DEO salutari suo. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* At bracteata illa felicitas & superbia trabeata, vt plena negotij, ita paucis concessa est, quæ & infernalis Carnificinæ alimenta suppeditat, & vna cum hac vita, nec rarò ante mortem deperditur; Postremò sub tenui membrana, non vnum tegit mare

Vera & Christiana Beatitas. Psalmo 32. 83. & 93.

re

re malorum. Subeat animo quam turpe ſit, non id à pectore perſpici Chriſtiana veritate colluſtrato, quod Euangelicæ lucis expers, ſolo arcano naturæ ſenſu, lyricus cecinit Cygnus:

Non poßidentem multa vocaueris
Rectè beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui DEorum
Muneribus Sapienter vti;
Duramq́ callet pauperiem pati,
Peiusq́ letho flagitium timet.

Horatius 4. lib: carm: Oda 9.

18. Sed quid agimus, quid moramur Anime mi? quid ad ARCHIDVCIS agonẽ aut verius ad infractæ viraginis exitum, mortemque triumphalem venire formidamus? Equum itaque ad Carceres ſtimulemus, & quo cæperamus, dicere pergamus. Contigit illi quam Auguſtus Cæſar tantopere ſibi in omni vita inaniter exoptare eſt ſolitus εὐθανασία. Nam placido velut conſopita ſomno, facilẽ exitum ſortita, è vinculo corporis tanquam è carcere euolauit; velut non ad mortem ten-

Suetonius in eius Vita capite 99.
Eius placida Mors.

deret, ſed ad immortalitatem: Et verò Eccleſiæ Sacramentis ante identidem obarmata, animoque in Devm confidenti ſemper erecta, & cœlo quam æuo maturior, curriculum ſuæ impleuit vitæ. Quippe quę tres tantum annorum teſſeradecadas, inter Virtutum vexilla in fœnea hac ſua traduxit domo: vel apertius vt dicam, annos binos vixit ſupra quadragenos. Bellè autem in illo numeri Sacramento peruenit ad regna cœlorum, ſub quo Seruator à Patriarcha Abrahã peruenit ad Virginem. Sub qua Myſtici numeri coincidentia, per quadraginta duas manſiones electus populus ab Aegypto peruenit ad fluenta Iordanis, & in ipſo itidem hoc Fauonij ac Veris introitu, terram introiuit Promiſsionis. O fœlix beatumq; Veris auſpicium, cœleſti hoc partu; cui quod ſecundum naturæ ordinem initium æſtimatur anni, factum eſt ſecundum gratiæ prærogatiuam, exordium beatæ æternitatis: cuius illa tam cupida ſemper extitit, quam exors corruptelæ.

Ætas.

19. De-

19. Deniq́ue duos poſt & quadraginta annos, à baptizato in Iordane Domino, dirutæ ſunt & cõflagratæ Ieroſolymæ, & vetus ſepulta eſt cum honore Synagoga: Et magnus Arabiæ Phœnix Tobias, quadrageſimo ſecundo anno, ex quo ope Angeli vſuram recepit lucis, vinctione corporis reſolutus, nobili eſt conditus mauſolæo. Ergò & ARCHIDVX noſtra, par annorũ emenſa interuallum, ex quo illuminata & regenerata eſt in verbo vitæ, denata eſt, & non incomptis ſignis aut euerſis faſcibus, ſed ſplendentium ſacro cultu Pontificum humeris elata, atq́ue inſigniter ſpectabili ac perilluſtri eſt pompa tumulata. Quæ ſicut omnes omnino numeros ſolicitę Matrisfamilias expleuit; ita Annæ matris Samuelis ſpeculum, re ipſa ac nomine exertè expreſsit. Sicut enim illa pro vno Samuele filio, cœli Principi dedicato, tres protinus filios, & duas filas DEO fœnerata eſt; Ita Triadem maſculam & Dyadem fœminam, tres inquam iſta filios, Sereniſ-

Speculum Annæ matris Samuelis.

ſimos ARCHIDVCES IOANNEM CAROLVM, FERDINANDVM ERNESTVM & LEOPOLDVLVM Beniaminū, Auſtriaci olim germinis decora protuberauit; & duas itidem filias Sereniſsimam MARIAM ANNAM, & CECILIAM RENATAM, nobiliſsimas inclytæ ſtirpis gēmas extulit, ac ſibi fecit poſt humare. Auctarium hoc fuit & mantiſſa pro ſorte CHRISTINÆ & CAROLI; quos velut primitias frugum, hordeaceas vnas, alteraſque triticeas, oſtenſas Terris tantum, mox prælibauit Cœlo. Accuſatæ olim liberorum Auguſti immaturæ mortes, luctuſq; non tantum orbitate triſtes, ſed fœditate infames. At gratæ hic acclamatæ mortes & maturæ, quia & lætæ ſortes & fœcundum cum ſorte fœnus. Fortunatæ ambæ illuſtres animæ, & ſecuritatis corollula laureatæ; quas perinde ac gemellas circa Lunam contemplor ſtellas, manibus per mutua nexis cum Matre ludentes, lætumque choro Pæana canentes. Choræis inquam inter-

Eius Soboles.

Apud Plinium lib: 7. cap: 45.

interſerti æthereis, & luctus noſtros temperant, & Angelicam decantant Odam; *Gloria in altiſſimis* DEO.

20. Iam quibus vnumquemque vocibus è Cœlo compellet audiamus: *quæ habitas in hortis, Amici auſcultant; fac nos audire vocem tuam.* Dabis mihi hanc Sereniſsime ARCHIDVX veniam, vt à te exordiar FERDINANDE. Nam

Multis illa quidem flebilis occidit;
Nulli flebilior, quam tibi.

Qui duas annorum Octoadas, iuxta Pythagoricam gnomam μία ψυχή perinde atque vna anima, gemina circumferens corpora, aut velut par turturum, vel duo pulli columbarum, in eadem cum illa ſynoride tranſegiſti. Nunquam (ſic fatur illa) vel tranſuerſum vnguem à tuo diſceſsi nutu; Ita porrò & tu perge Princeps Auguſtiſsime, quo cæpiſti. Fac ſis ne vel latum pilum à Chriſti lege oculum euaries, vel ab illa, qua Regum ſtabilitur ſolium, accurata & peruigili Iuſtitiæ adminiſtratione ali-

Eius in Cœlis ad Coniugem Oratio.

aliquando deflectas. Fragiles esse tecum reputa & vitreas Regni Anchoras, opes & honores: At verò Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Pietatemq́ue ac Religionẽ, validissimas esse cogita bases, atque anterides Austriacæ Domus, quas nulla fortunæ quassare tempestas possit. Quo fiet vt si in tuos aliquando ruat humeros Imperij fastigium, & illud velut alter Atlas probè sustineas, & stirpi itidem nostræ, atq; saluti pariter consulas tuæ. Et quoniam propediem hæc vitæ quoq́ue tuæ Orchestra dissoluetur, breui post ægro impensam & affecto Imperio medicinam, postq́ue tantas Christiani Orbis vndas tua prudentia & vigilantia olim composiras, iterũ charo & casto in blandis Christi vlnis coniungemur nodo, omnesque amoris & charitatis habenas laxabimus, nullo inuicem æuo alterutrinq; diuellendi.

Ad Sobolem.

21. Et vos viscera mea moneo (pergit illa) & sanguis meus, quina proles; quas velut parturientes rosas aut papillatos specto

ćto Corymbos, & quos mox in calathum fundendos Orbis, & principatus auguror vehendos imperij; Moneo inquam maturè, iterumque maternè admoneo; vt quam Austriacis hæreditariam, meis ex vberibus insuxistis pietatem, ad canam frugem & flauam messem, ac porrò in Cœli tandem horrea euehatis. Ibi vos inter electos DEI filios, immaculati agni vellere candidatos, fulgentes gloria & gaudio plenos sum receptura. Macti animis Heroës, & domestica vos Virtutum prouocent exempla; quæ efficaciore vos valeant philtro, ad probitatem inflammare. Interim istud Animæ diuersorium, vel rectius sepulchrum, omnemque hanc rerum quæ infra Lunæ ambitum iacent, amœnitatem, fugacemque istum ætatis vestræ decorem, qui Puniceæ flore est prior rosæ, tanquam Polypi colorem, & solstitiales herbas, aut Adonidis hortos, qui ad octiduum virent, moxque in fatiscentem abeunt puluerem generosa indo-

le, maſculo pectore & ARCHIDVCALI robore pedibus obteritote. *Truditur dies die, Nouaq́; pergunt interire Lunæ.* Ad ſempiterna nec vnquam interitura vos euoco bona. Huc oculos animosq́ue & cogitationes veſtras conuertite; vt vbi ego ſum, ibi & vos ſitis, gloriâ & honore coronati. Ita fiet vt ex fœcunda hac noſtra Auſtriacę ſtirpis gleba, grauidæ ſe olim tollant ſegetes, & parturientibus culmis denſior quoq́ue indies Terris ariſta floreſcat. Et quoniam extremum quod vos Mater dulces Liberos alloquor, hoc eſt; illam Auguſtam Caroli IV. Imperatoris Auguſtiſsimam vocem, intimis peruelim præcordiorum Animæ veſtræ fibris vehementer inhæreſcere. Qua nimirum iam iam abiturus è vita, chariſsimos ſuos quondam natos, VVENCESLAVM & SIGISMVNDV̄ affatus eſt ſuperſtites. *Cum poſt me diademate Regum decorati regnabitis, mementote filij, quod & ego prior vobis regnaui, & nunc iam in puluerem redigendus, moxq́; in eſcam conuertendus*

In vita eiuſdem.

tendus sim Vermium. Idem vos hic manet exitus, ò mea cara pignora, & omnis iste ætatis decor, & honorum pompa, sicut flos agri, & velut umbra pertransibit. Quid generis iuuat nobilitas! nisi comes adsit Christiana Pietatis hæreditas, cum fide recta, & spe sancta Resurrectionis in DEVM directa.

22. Hinc illius cedo verba, quibus vos cætera affatur nobilitas. Non ideo fortunatam me iudicatote, quod vitam in potestate ac gloria traduxi, sed quod vsque ab Infantia & cum Nutricis lacte, Christianam amplexa pietatem, omne satellitium blandarum spreuerim voluptatum, nobilitatisque atque Imperij Portas velut Cedros Libani, & quercus Basan, Proposito fregerim Humilitatis. Quod in Vmbilico Aulæ, perinde atque in Vestali vixi secreto, omni vacua Aulicorum strepitu, forique Tumultu. Quod in Curia extra curam steti metumque, & omnem extra cupiditatem, Voluptatem habens in Voluptatis contemptu. Quo factum vt humanos

Ad omnem Nobilium Coronam.

nos infra me cunctos despectans casus; Iram, Ambitionem, Inuidentiam, Auaritiæ pestem, breuiter quicquid honestati repugnat, sub rationis habuerim Imperio. Huc & vos totis neruis incumbite; vt & aulicas solicitudines atque tumultus, Cæsareis in Palatijs stabulare solitos, velut mentis Erynnides execremini: ne aut animum à vitijs vinci, aut rationem sæuæ carnis Tyrannidi seruire turpiter patiamini. Huiusmodi Imperium mille parasangis; Xerxis anteponite Monarchiæ: Quia Triumphus iste Virtutis hoc maior est, quo melior. Extra hanc Orbitam, Forma, genus, opes, voluptates, honores, *Vanitas vanitatum est, & omnia vanitas.* Nam alij Reges, aliæ leges hic; alij mores, amoresq; & regna, & Principatus alij quam isthic. Alia gloria & nulla nisi liquida hic & luminosa Voluptas: aliud rerum pretium; & longè porrò diuersa est personarum in hoc Cœli climate æstimatio. *Hic nouissimi primi, & sunt primi nouissimi*; quia tantus

Monarchia & Triumphus Virtutis.

tus

tus hic quisque est, quantus ante DEVM est.

23. Hoc est perpendiculum, quod super cœlestem extenditur Ierusalem. Hæc mensura arundinea aurea ad metiendam Ciuitatem, & portas eius & murum. Hic neminem terreni splendor generis clarificat, sed omnes cœlestis lux Virtutis exornat. Hæc sola nobilitas hic fertur in oculis, vsurpatur sermonibus, honoratur premijs, viuitque & floret corollis & laureolis coronata florentissimis. *Sicut audiuimus ita & vidimus in Ciuitate DEI nostri, in medio tui Jerusalem:* Vbi sancti DEI omnes florent quasi Lilium, & sicut odor balsami, sic sunt ante Thronum DEI, lætitia sempiterna super Capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt. Contra verò qui pietatem negligunt, virtutem contemnunt, Cœlum & Tartara rident, & nobilem illum ac diuinum Christi sanguinem lethiferi peccati sorde attaminant atque proculcant; hi salutem suam produnt,

Apocal. 21. vers. 5.

 atq;

atque in inferni barathrum præcipites ruunt. Vbi continuus fletus & perpes stridor est dentium: vbi *potentes potenter tormenta patiuntur: vbi pluit super peccatores laqueos, Ignis & Sulphur, & Spiritus procellarum, pars Calicis eorum*. Ea propter Pietatem in DEVM, hæreditatem locupletissimam, & primam Nobilitatem Sapientiam arbitramini. Hæc illa. sapientibus pauca.

24. Nec ego vos tacitos præteribo flores nostri honoris, fructus & Corona nostri laboris, sertum & Diadema gloriæ nostræ, ac Christianæ Reipub: nobile germen Academica Iuuentus; Qui ad hoc Scientiarũ venistis Domicilium, vbi Virtus & Sapientia degunt & regnant. Quæ etsi non se regali in solio & reducto velo clarè conspiciendas vobis exhibeant; vtraque tamen specie supra humanam, ætate semper virente ac florida, constanti vultu in Veste simplici atque ascititij cultus nescia, conspicuam se præbet. Princeps

Academicam compellat Iuuentutem.

ceps nunc ergo, Virtutis & Sapientiæ Antiſtes, vos mea appellans oratione infit. Quæ ſenibus eſt in oculis, vobis iuuenibus Mors eſt in inſidijs. Velox erit & vobis depoſitio Tabernaculi veſtri. Volat enim & auolat ætas, & irrecuſabilis eſt Mortis neceſsitas : *Mihi heri, hodie tibi. Jncerta eſt prorſus dies craſtina; viue hodie.*

Nemo tam diuos habuit fauentes
Craſtinum vt poſſet ſibi polliceri,
Res DEVS noſtras celeri citatas,
Turbine verſat.

Seneca in Thyeſte.

25. DEVS mundanæ huius vbique Tragediæ choragus eſt, non ludicra Fortuna: Ille in Theatro orbis choreas ducit, ſimulque & cœli torquet ſydera, & volubilem rotat fortunæ rotam; quem vult humilians, & quem vult exaltans. Perſonam quam in hoc quiſque Amphitheatro agat, ipſe imponit; munera Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Præſulibus, Summatibus, Infimatibus medioximis, verbo omnibus ac ſingulis ipſe

ipſe diſtribuit. Curæ proinde cuiusque ſit, vt quam nactus eſt ſpartam, hanc probè exornet. Agant quisq; perſonam gnauiter quam ſuſtinent; ſiue Agamemnonis vel Menelai, Priami vel Hectoris, Achyllis aut Neſtoris, vel Niſi etiam & Euriali aut Aſtyanactis; nec Therſitem quis referat aut Dromonem, cuius Perſonam veſtrum nemo vnus hic agit. Alioqui vbi ad Cataſtrophen ventum fuerit fabulæ, quam malè cuiuſque humeris ſederit perſona, Choragus iudicabit, idemque Agonotheta: qui, quod fit in Comedijs, ornamenta auferet, quæ dedit; & maiore afficiet præmio gnauum militem, vel induſtrium Agricolam, quam ignauum Tribunum vel ſomniculoſum Toparcham.

Paraneſis ad omnes.

26. Tantum illa; cuius ego excipiens filum, vna omnes quanta vocis contentione poſſum, conteſtor & hortor, vt defunctæ virtutes, quarum nunquam conſeneſcet gloria, ſed omnium vigebit memoria ſæculorum, potius imitemur, quam vt interi-

terituras citò sæculi pompas, coruosque volantes & inhospita passim tesqua consectemur. Fluxum est & breue hoc vitæ gaudium; ac veluti Tantali aut Pentapolis pomum, videri magis se finit, quam perfrui. Quod etsi fortè tangi vult oculo ad calamitatem, libari tamen osculo renuit, aut manu contingi vel aliquantillum ad voluptatem. Iuuat & hoc in partem, quod Mercatus cuiusdam adinstar est vita præsens; fluxis itaque & fragibilibus, bona nobis commutemus æterna: nec Philosomati simus, vel Philochrimati aut Philotimi (quod in Phœdone vetat Socrates) hoc est ne corporis nostri, pecuniarumue aut honorum cupidi, sed Philosophi ac sapientiæ simus amatores, Mortisque quæ sempiternæ vitæ Ianua est, appetitores. Indigna Christianæ sapientiæ alumnis vox illa, Hominis pacem habentis in diuitijs, illarumque re cognatis & nomine, vitijs suis.

27. *O mors quam amara est tui memoria.*

1.Regum 15. vers. 32.

Talis erat cuius vetus est verbum; *Siccine separas amara Mors?* Talis & Aelius Hadrianus Augustus, qui moriturìens tristem illam Threnodiam concinebat, malæ Conscientiæ testem, Indicemque ac Vindicem.

Animula vagula, blandula
Hospes comesq; Corporis.
Quæ nunc abibis in loca?
Horridula, rigida, nudula:
Nec vt soles dabis iocos?

Talis & Euripi Lessus, humanæ vitæ fabulam miseranda catastrophe terminantis.

Heu quæ tenebræ, quantus horror irruit?
Quæ torsiones cor fatiscens lancinant?
Ach flos Iuuentæ iamne compellar mori?
Blandumq; quicqd fuit, & est relinquere?
O dulce lumen iamne cogar emori?
Qui multa lustra adhuc putabam viuere.
Heu vita fallax quomodo breuissimi,
Euanuisti prorsus instar somnij?

At quam dissimiles notæ illæ sanctorum

vo-

voces? *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est; habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Et Cygnæum, illud Apostoli & Pegaseum melos; *Cupio dissolui & esse cum Christo. Domine, Domine virtus salutis meæ, Educ de Custodia Animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant Iusti, donec retribuas mihi.*

28. Sed vt receptui canam, ibidemq; terminetur vbi est orsa Oratio. Mihi certè & sat scio vnicuique vestrum, qui ad defunctæ exequias & sepulturam illustri colluminantium serie, magnificoque sumptu concelebrandam coiuistis, stat sententia & votum; multo nunc illam fœlicissimo perfrui æuo, nec iam Abrahæ sinu, sed Christi amplexu confoueri, cœlestesque inter Heroës & Heroinas, vita florere beatissima, omnibusque illis deliniri gaudijs, quæc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Nam vt omnem te te in partem vertas; ecquem alium tam sanctæ Animæ

Epilogus.

 desti-

destines locum? quam inter Seraphicas mentes, in sinu & amplexu Regis intimo æternæ gloriæ: vbi faciem DEI videt in Iubilo. Hoc siquidem sperare nos eius Probitas; hoc Christi pietas iubent. Quippe qui & documenta morum eius, & fidem non fictam, & conuersationem eius, piam in DEVM, in omnes blandam ac placidam, contestatissima habemus & explorata. Vt proinde non nostris illa lachrymis, sed gaudijs prosequenda sit vniuersorum. Quia tamen *vix iustus saluabitur, & astra non sunt munda in conspectu DEI, & nihil inquinatum intrabit regnum Cœlorum. Et ve etiam laudabili vita hominum, si remota misericordia DEVS discutiat illam; quia si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* In omnem idcirco euentus securitatem, stipendiarias pro defuncta preces lachrymasque fundamus; Sanctam eius fauillam, ac venerandos cineres, Orationum balsamis irrigemus, atq; ante diuinæ limen misericordiæ prostrati, ad Patrem Indul-

Indulgentiarum, & totius consolationis, ignita precum tela ex cordis nostri pharetra eiaculemus. *Nunquam enim sat magna securitas, vbi periclitatur æternitas.*

29. Et sanè si super Parentum & benefactorum tumulos certatim Agnati, violas, rosasque & lilia spargunt; aut de Cupressi frondibus diuersisq; floribus & Arborũ comis, vitiumq; pampinis feretrũ adumbrant, vt suam erga mortuum hoc qualicunq; obsequij genere testentur pietatem, atque hisce caritatis officijs (quæ alioqui viuentium potius solatia sunt, quam subsidia defunctorum) inclusum pectori solentur mœrorem. Qua (amabo) ratione vnumquemq; nostrum, qui clarissima fun' donauimus sepultura, iustaq; præstitimus, erga Serenissimam defunctã affici par est? Neq; enim quasi in publico mœrore satis esse debet communem Reipub: lugere parentem, omniumq; Dominã; sed quasi ad vnũ quemuis propriè hæc orbitas pertineret, ius piũq; est singularẽ testificari amorem!

rem! Fulciamus itaq; illam floribus Orationum, quæ in odorem ascendant suauitatis ante DEVM, Patrem Cœli, & Terræ. Stipemus illam malis bonorum operũ, & *sicut dies verni circundent illam flores Rosarum & Lilia conuallium*. Siquidem & hunc verna Rosis lęta anni temperies, spirantẽ Cœlo florem dedit. Rosarijs inquam Christiparæ Virginis, alijsq; omne genus precationibus, pijsq; coronemus operib⁹ (*Nam talibus hostijs promeretur DEVS*) Sanctamq; illius animam ad Thronum gloriæ magni DEI hoc Thymiamatis suffimento prosequamur. Annuite votis boni Cœlites; agitedum ne irritæ cadant sacræ panegyris nostræ preces, aut cassa sacrificia. *Exaudi: Exaudi Domine, placare Domine, Attende & fac. Ne moreris propter temetipsum DEVS meus; Quia nomen tuum inuocatum est super nos.*

Danielis 9. vers: 19.

DIXI.

CHRONOSTICHA

Annum, Menſem, Diem, feliciſsimæ migrationis complectentia.

*Mart*IV*s o*C*ta*VV*s* LV*na* V*t properante s*V*b a*X*e*
IL LV XI*t, pr*I*n*C*eps fata* CV*p*I*ta* C*ap*I*t.*

ALIVD.

*Et ſo*L *o*C*ta*V*o p*I*s*C*es* C*aplebat* I*n orbe,*
*Et pr*I*n*C*eps* C*œ*L*os* ANNA M*A*R*IA* s*V*b*I*t.*

GRATII,

EX OFFICINA TYPO-
GRAPHICA,

*GEORGII VVIDMAN-
STADII,*

Anno Salutis,

M. DC. XVIII.